

DO
ROVIN, AL

1740
5

3.

5

Par de quibusda. vno habebat multos errores, & dicebatur
 Gulielmus; alter erat Rusticus, nihil in particulari sebat,
 sed dicebat se velle mori in fide Gulielmi, prior erat hereti-
 cus; posterior dicebatur credens, & absque dubio etiam cre-
 dens hereticus est, sed credens dicitur, qui heresim impli-
 citè & in alio profiteretur Sicut etiam inter Catholicos sunt
 Rustici, qui fidem implicite tenent, credentes quidquid cre-
 dit Ecclesia. Credentes igitur hereticorum † excommuni-
 cantur, quando talem implicitum errorem exprimentur ex-
 pressè, dicentes Caluinum fuisse virum bonum, se velle mori
 in fide illius, & alia his similia, errorem suum exprimentia.

Tertium genus personarum sunt, *receptatores heretico-
 rum, aut creditum eorum*: notant autem Archi. Palu. Silu.
 locis citatis, non sumi receptatores secundam vim gramma-
 ticam, vt illi dicantur receptare, qui frequenter recipiunt,
 sed enim ad contrahendam hanc * excommunicationem, si
 vel semel receperint. Dicuntur autem, secundam predictos
 Doctores, * recipere omnes illi, qui in domibus, vel alijs
 locis hereticos recipiunt, occultando eos, ne in manus Iu-
 dicum veniant, & vt penas in hereticos latus euerent. Idem

*ver. excomm. 3. causa 2. num. 7. & deducuntur
 recepta. Et l. congruit. ff. de offi. praesid. Vbi
 es, sine quibus latro diu latere non po-
 tator, qui recipit ad occultandum. Qui
 recipit, non est censendus receptatoris
 idatur à latrone, vel à Iudice proceden-
 ti, vel aliter criminis, debet enim esse in*

personarum sunt, *eorundem fautores*: præ-
 rchi. Palu. Silu. locis citatis, explicant,
 quod differencia, quidam sunt fautores
 omni missione. Is dicitur * omni missione fau-
 tor, si teneatur hereticos punire, & in-
 it, nec contra eos procedunt, iuxta cap.
 exet. Adde etiam Silu. sub hac censura
 personis priuatas, quæ ex iuramento
 aliquo tenentur eos deterrere, aut denunciare, & non de-
 nunciant, quales sunt ij, qui familiares inquisitionis dicuntur.

senetur fautor, nisi iureus sit, quamuis Palu. § d. 18. *quæst.*
 3. art. 1. teneat, esse fautores, personas priuatas, quæ non
 indicare, melius tamen dicit Siluester. Illi autem dicuntur
 * commissione fauere, qui verbis, licetis, aut factis fauent,
 vt qui laudat hereticos, dicendo, iniquè Inquisitores pro-
 cedere contra ipsos, esse bonos viros; aut, qui mittunt mu-
 nera, *iuxta cap. accusatus de heret. in 6.* aut præstant alimo-
 niam, arma, quibus fugiant, & liberent se à manibus Iudi-
 cum, aut alia huiusmodi faciunt, fautor enim semper debet
 esse in ordine ad heresim; vt etiam dicit S. Anton. *in tract.*
de excomm. cap. 4.

Quintum genus est, *defensorum hereticorum, vel creden-
 tium eorum*: qui autem sunt defensores, explicant Archi. cap.
quicumque, de heret. in 6. & Situel. *heres. r. §. 10.* nempe,
 qui † viribus aut potentia defendunt hereticos, ne veniant in
 in manus Iudicum puniendi, aut excommunicandi, aut capi-
 piendi. Dicit etiam Card. *Clemen. 1. de penitent. de valores*
 esse eos, qui patrocinium præstant, & aduocant pro hereti-
 cis, scientes, non habere illos iustitiam, & hoc in causa hæ-
 resis. Adde etiam Palu. § d. 13. Notarios etiam qui suum
 ministerium adhibent in simili casu, esse defensores. Ex his
 sequitur, defensionem esse intelligendam in ordine ad hæ-
 resim; vnde Silu. loco citato dicit, non esse defensorem, qui
 hereticum defendit à priuata persona, vt à latrone, vel ab
 iniuste volente euocere. Adde etiam, non esse defensorem,
 qui in causa ciuili vel criminali, alia ab heresi, ipsum quo-
 quomodo defendit. Tales enim non sunt defensores, de qui-
 bus in hac Bulla fit mentio.

Oportet autem in his tribus, * receptatione fauore, & de-
 fensione adnotare ad contrahendam excommunicationem,
 debere fieri scienter; nempe, vt qui recipiant, fauent, defen-
 dunt hereticum, ea faciant scientes eum esse talem. Adno-
 tanda etiam est in his tribus doctrina *C. iet. Ver. excomm.*
cap. 1. non esse fauorem, defensionem, receptationem hereti-
 ci, nisi qui descendit, fauet, recipit hereticum, vt hereticus
 est. idem Nauar. *cap. 27. summa. nu. 56.* Quod intellectui * du-
 pliciter potest, vno modo, vt sano; receptio, aut defen-
 sio heretici fiat propter heresim, seu in fauorem heresis.
 Altero modo, vt fiat in causa heresis, licet non fiat propter

TOLEDO
 BIBLIOTECA PROVINCIAL

Sala Reservada
 Número 985


Vignola 2 pp.

Libro Reservado 13-1

T/1 148013

R 376332

CB1196080



Me *satabor cum apparuerit gloria tua. psal. 16.*

CL. PTOLEMÆI

Pelusiensis Mathematici

OPERIS QVADRIPARTI-
TI, IN LATINVM SERMONEM

TRADVCTIO:

Adiectis libris posterioribus,

ANTONIO GOGAVA GRAVIENS.

INTERPRETE,

Ad Clarissimum Principem MAXIMILIANVM
Comitem BVRENS.

ITEM,

DE SECTIONE CONICA,

Orthogona, quæ parabola dicitur: Deq; Speculo

Vstorio, Libelli duo, hætenus desiderati:

restituti ab ANTONIO GOGAVA

GRAVIENSI.

Cum præfatione D. GEMMÆ FRISII, Medici
& Mathematici clariss.

CVM GRATIA ET PRIVIL:

LOVANI

Apud Petrum Phalesium, ac Martinum Rotarium,

Anno M. D. XLVIII.

Mense Octobri.

Fue este Libro del famoso Architecto Tolédano Juan Baptista Moncegro.

I. B. M.

C.



Cæsaris priuilegio permissum est Petro Phalesio ac Mar-
tino Rotario excudenda dare hæc exemplaria Iacobo Ba-
rio Louaniensi Typographo & ubiuis locorū distrahenda
tradere, uti latius patet in literis illis à Cæs. Maiest.
concess. subsignatis à Philippo de Lens. An
no. 1548. 27. Septemb.

Gemma Frisius Medi

CVS, CANDIDO LECTORI. S.D.




Vibusdā hodie mos est, Lector humanissime, quotienscunq; in publicum emittitur liber cuiuscunq; aut argumenti, aut etiā auctoris, ut inspecto frontispicio, hoc unice obseruent, an adiectū sit opus nouum opus recens natum & alia huiusmodi. Quòd si tales non adsint inscriptiones, tanq̄ ab angue tacti, mox fugiant. Verum enimvero similes isti uidentur iis, qui nausea bundi quotidianum ac omnium comprobatum experientia cibum respuunt: quam ob rem fungos, limaces, ac insuper incognitarum quoq; herbarum turbas in acetaria congestas edere malunt, quàm longo rerum usu salubrem uictus rationem sequi. Cedāt sanè uetera, dūmodo meliora succedant. Sed nescio quo fato accidat, ut uix ueterum uestigia sequi à longe nobis concessum sit. Prodeunt indies scribendi prurigine prouocati aliquando de Astrologicis iudiciis uarii auctores. Sed quantum ab artificio Ptolomæi (qui omniū calculo primas hic obtinet) absunt, id nunc clare constabit, ubi totus nobis in Latinam transfusus est linguā, opera partim Camerarii, partim Antonii Gogauæ Grauiensis, & in Græcis literis & in hoc studii genere æque docti industria, idq; clarè ac eleganter. Quod in tali argumento q̄ difficillimum arbitror & maxime in Ptolomæo, qui ueterum breuitatem cum uerborū pondere obseruauit. Credo hāc ob causam multos fuisse ab hoc opere deterritos, nec hactenus quenq; totum absoluisse. Quanq̄ non negauerim potuisse, si laborem ac molestiam hic requisitam, tubire uoluissent. Accipe igitur humanissime Lector, hoc opus uetus & nouum: Veterem Ptolomæum inquam, nouo ac eleganti idiomate loquentem. Nec minus grati sint libelli quos adiecit à se diligenter correctos, qui non utilem modo & iucundā, uerū etiam cū Apollonii Conica elementa nō extent, necessariam hodie in Optica disciplina tractationē cōtinent. Vale Louanii cal. Octo. 1548.

A 2 GENE

Generosiss. & clarissimo

PRINCIPI, MAXIMILIANO
DE EGMONT, COMITI DE BYREN, DOMINO IN ISEL-
steyn &c. Gubernatori Frisiae, ac ditionis Transyf-
sellanae, loco Caesareae Maiestatis, Do-
mino suo clementiss.

ANTONIUS GOGAVA GRAVIENS. S.



VM alia permulta
me incitarunt Ge-
nerosiss Princeps,
tum prouocauit ho-
nestissima tua cum
mirifica humanita-
te coniuncta uolun-
tas, ut has qualescū
que industriae meae
primitias, quas do-
cti quidam amici la-
tere apud me diu-
tius non sinebant,
tuo numini conse-
cratas, in publicum

emitterem. Ac licet impares uirtutū tuarū nataliumq; splen-
dori existimarē, sperabā tamen, si quo ingenii mei uitio mi-
nus elegantes nitidaeue exiissent id rerū magnitudine & ex-
cellentia abundē compensatum iri. His accedit, quōd operi
paucioribus ad hāc usq; tempora cognito, lucis plurimum
& claritudinis ex tuo nomine accrescere posse uiderē: quōd
non tantūm ob rei militaris summam peritiam & antiquam
disciplinam percelebre est, non solūm ob res maximas ac dif-
ficillimas incredibili à te sapientia & dexteritate, cū in Gal-
liis saepe, tum nuper in Germaniis gestas, cū à Rheni ostiis
per amplam illam, & merito ueteribus magnam appellatam
provinciam, inter tantas hostium potentissimorum minas,
uictorem exercitum ad Caesarem inuictissimum in Baua-
riam adduceres; ubi exemplum edidisti militaris tuae uirtu-
tis

tis & fortitudinis, quod ut nobis admirabile omniumque mortalium expectatione maius, ita incredibile posteris uidebitur. Sed est etiam ob literarum & humanitatis culturam, diuinitatem indolis, maximeque liberalitatis nomine, apud optimos quosque iucunda & frequens tui recordatio. Quod ad nostram translationem pertinet, quantos in ea labores molestiasque subierim, obscurum iis esse non potest, qui ipsi periculum facere non grauabuntur. Experientur multiplicem & explicatu difficilem Ptolemæi perplexitatem: in iis præcipue tradendis, quæ à nobis fide, quanta fieri potuit & perspicuitate, traducta sunt. Auxit difficultatem quod ad aliorum translationes confugere integrum nobis non fuit, cum eæ nullæ sint præter duas, non ex Græcorum fontibus, sed lacunis Arabum ad nos deductas, fœdas sanè illas & ineptas, ut reprehensione & crimine carere tempora nostra uix possent, si renatis artibus ac literis oblini nos fecibus & barbarie ista pateremur. Nec uerò dictionis tantum horrore & putiditate quemuis potius, quam Ptolemæum exprimunt, sed quo magis offendunt, sententiis diuersæ sunt, nec raro Ptolemæi placitis repugnantia adducunt, ac denique in errores etiã perducunt. Idque eo magis in posterioribus libris quo difficiliores ii sunt & à rudimentis remotiores, ut ab eorum translatione consulto abstinuerit uir doctiss. Ioach. Camerarius, qui priores transtulit, quod ut ipse testatum reliquit, non maximam horum intelligentiæ spem haberet. Ac sanè mirari sæpenumero, & dicam uerius, exostulare cum antiquitate de inuidia cogor, quod non Latinorum tantum sed ne Græcorum quidem hominum aliquis in hos gentilis sui libros cogitationes ad nos suas transmiserit, cum ex uniuerso Philosophiæ fundo nihil sit quod & prolixioris culturæ indigeat, & simili cum fructu ac splendore, atque adeo gloria maiore excoli possit: beneque precari Halæ Arabis manibus soleo, qui unus, quod sciam, hæctenus enarrationem nobis suam impartit, cui uitam quoque acceptam refert, & memoriam sui apud posteros æternam. Quanquam nec semel ille à Ptolemæi sententia aberrat, quo de & nobis dabitur Deo fauente dicendi locus, & mirum uideri in tanta rerum difficultate non debet. Ego uerò generosiss. Princeps, licet nec mihi maximam harum rerum experientiam uendicem, de illo tamen

arbitror studiosis lectoribus ambigendi occasionē relictam
non esse, quin ut Ptolemæi sententiam ubiq; quantum qui-
dem eius fieri potuit, exprimerem laboris nihil subterfuge-
rim. Nec alios quos audio iam dudum idem moliri, à pro-
posito deterrere nostra editione nos quisquam cogitet, sed
præire & excitare potius periculo nostro uoluisse. Nihil autē
ueritus fui aliorum censurā subire, posteaquā cum multo-
rum doctorum & ingeniosorum suffragiis, tū autoritate cla-
rissimi Mathematici & Medici. D. Gemmæ Frisii, ac uene-
rādi partis Adriani Hegii iudicio, qui in hac multiplici Apo-
telesmatum doctrina consenuit, uidi labores nostros com-
probari. Adiecimus libellos non uulgares de sectione Co-
nica parabola, deque ustorio speculo, qui haud dubiè stu-
diosis & doctis Mathematicis uoluptatem adferent, atque
hoc tempore, cum Apollonii Conica elementa non extent
publicè, necessarij sunt. Quod reliquū est rogare C. T. non
desino, ut sicut hanc meam dedicationem humaniss. acce-
pisti, ita reliquos Cōmentarios nostros in hos libros aliasq;
lucubrationes, quæ propter auctoris adolescentiam & suam,
obtutum & lucem multitudinis ferre non possunt, fouere ne
graueris, ut mecū adulescere & maturescere queant. Quod
te perquā lubenter facturum, pro insigni tuo erga li-
teras & patriam studio gratis sponondisti, quibus
precor C. T. diutissime Deus incolumen ser-
uet. Louanii Idibus Augusti.

1548.

AD ANTONIVM GOGAVAM

Hendecasyll. Car. Langii.

Antoni patriæ decus GOGAUA,
Qui cum puluere iungis erudito
Mitium oia blanda literarum,
Sacra dum studiis uacas Mathesis
Seueris, Deus? & laboriosis:
Cui non Vranie placere sola,
Sed totus potuit Cyclus Dearum.
Eia, nil mediocre nos putato,
Isto ab ingenio manere, quin tu
Quouirtus tua te uocabit, ito.

Claudii Ptolemæi Ma-

THEMATICI OPERIS LIBRI QVA-
TVOR, IN QVIBVS DE IVDICIIS DISSERI-
TVR, ABSYRVM Lib. I.



VO sunt Syre, quibus peruenitur ad Astronomicas prædictiones, præcipua quidem & maxima. Vnum, quod primum & loco est & potestate, quo Solis & Lunæ & Stellarum motuum configurationes cum erga se, tum terram deprehendimus. Alterum, quo de illarum configurationum naturali proprietate consideramus subiectarum rerum mutationes. Atque horum prius & suum habet & per se dignum tractatu studium, etiã si adiunctione alterius ad finem prædictionum nõ perueniatur, deq; illo peculiariter & quã potuimus certis argumentis rationem uestigatam alio libro explicuimus. De altero autem, minusq; adeò ex sese perfecto, in præsentia uerba facere decreuimus, conuenienti quidem philosophiæ modo: Atq; ita ne ab ullo, cui ueritas curæ sit harum rerum comparatio fiat cum prima & immutabili certitudine, cum intellexerit materiæ & illius habitudinis imbecillitatem, & difficultatẽ coniecturæ capiendæ, Nẽue quis à contemplatione eorũ, quæ percipi possint resiliat, cum uideat tam multa in uniuersum planè ab hoc circumfuso cælo affluentes nobis causas declarare. Solet autem fieri, ut quicquid pauci assequi possunt, id in multorum reprehensionem incurrat. Harũ uerò duarum scientiarum, quam loco & potestate priorem diximus, si qui calumniari uelint, merito cœci prorsus habeantur. Sed altera præbet sanè non leuem occasionem insectatoribus. Nam alii difficultate cognitionis adducti, scientiam esse negant, alii quia non facile quæ impendere sciantur, possint euitari, inutilem etiam finem cognitionis criminantur. Proinde antequam ad explicatiõem singilatim accedamus, placuit

cuit exponere rationem utriusq; quatenus & possit hoc modo & utile sit prænosci futura. Posse autem priore loco disputabimus.

A S T R O N O M I C A R V M P R A E-
uisionum scientiam esse, & quatenus ea tendat.



PRINCIPIO euidentiſſimū est & non indiget uerbosa probatione, pertransire & diffundi uim quandam ab ætherea & sempiterna natura, in uniuersa terræ circumposita & semper mutationi obnoxia, quæque sub Luna sunt prima elementa, ignis & aeris, quæ quidem ipsa includantur & agitentur æthereis motibus, includant autem & cogitent inferiora omnia, terram & aquam, & quicquid in illis nascitur animantum aut germinum. Nam & sol ipse unā cum cælo circumdante omnia terrestria perpetuo quasi ordinat, non modo per mutationes statorum in anno temporum, quibus animantibus uita, germinibus fructus quibusque suis tribuitur, & laticum fluctus & corporum affectiones procurantur, uerumetiam quotidiano circuitu, cum calefaciens & humectans tum arefaciens & refrigerans constanti ordine & modo pro figurationibus conuenientibus ac puncto uerticali nostro. Luna uerò ut proxima terris, manifeste in terrena influit, cum illa enim consentiunt & commutantur pleraq; omnia & animata & inanima. Ipsi fluiui nunc augescunt, nunc decrescunt, secundum Lunarē splendorem. Ipsaq; maria impetu diuerso pro eo ac illa oritur aut occidit, feruntur. Denique germina ac animantes aut omnino aut aliqua ex parte unā cum Luna incrementa & detrimenta sentiunt. Iam stellarum decursus plurimum significāt in aere, uel æstus, uel uentorum, uel hyemis, quibus conuenienter & terrena afficiuntur. Ipsarum autem inter se configurationes, cunq; congressæ effectiones suas commiscent, plurimarum & uariarum mutationū causæ sunt. Nam quāuis Solis uires in ordine generalis constitutionis antecellāt, ipsæ tamen in reliquis aut adiiciunt aliquid illi, aut demunt. De Luna quidem res est & manifestior & crebrior per interlu-

terlunia & plenilunia atq; item medio tempore, de reliquis autem & incertior & interuallis rarior: ut dum illæ apparēt aut occuluntur, aut aliqua in declinatione sunt. Quæ si quis confiderauerit, facile intelliget non modo constitutiones rerum affici ab illarū motibus necesse esse, sed etiam seminum & initia & perfectiones fingi & informari, pro habitudine cæli consequens indicabit. Quapropter qui inter agricolas & pastores præ cæteris sunt diligentes, de flatibus eorum temporum quo sementem fecerunt aut pecus ad coitum admiscere, coniecturam facere solent de euentu. Et ut breuiter dicam, Quicquid in uniuersum accidit, hoc non contemplatione naturæ, sed sola obseruatione de euidētibus solis & lunæ configurationibus, & reliquarum stellarum significationibus præuideri à plerisq; cernere est. Atq; horum nonnulla excellentiore quadam ui & simpliciore ordine procedentia intelligunt non modo penitus indocti homines, sed & bruta animalia quædam secuti sunt temporū & flatuum annua discrimina, quorum semper est sol autor. Quæ uerò maioris negocii sunt, ea tamen non fugiunt quosdam necessitate rerum suarum adactos ad obseruationes. Ut nauitæ sciunt illi quidem significationes certas hiemis & uentorum, quas dant & lunæ & fixarum stellarum cum Sole configurationes: uerū quia neq; tempora neq; loca, quippe imperiti astronomicæ scientiæ, notata, neq; cursus stellarum errantium collectos habent, ideo non raro contigit illos errare. Quid autem obstabit quo minus qui exquisiuerit stellarum omnium atq; solis & lunæ motus, ut iam nullum configurationum neq; tempus neq; locum ignoret, si etiam ordine & consequentia expositionis harum rerum percepto distinctas naturas omnium quæ diximus perspexerit, non iam dico quæ in rebus subiectis appareant, sed quarum effectiones potestate cōstent, ut quod Sol calfaciat, Luna humectet deq; reliquis similiter, siq; is sit, cui ingenium hac in parte suppetat, quid inquam, obstabit, quo minus naturaliter & certo, ex omni commistione, proprietatem habitudinum discernere possit, ita ut de quocūque tempore proposito explicet iuxta rationem eorum quæ tūc in cælesti contemplatione obseruauit, circumfusi cæli proprium modum & statum, ueluti futurum aut calidiorum aut humidiorum? Simi-

B liter

liter ut hominum propriae singulorum constitutionis generalis cognitionem habeat, collectam à statu circundantis cœli: ueluti, corpus alicuius tale esse, talem autem animum, quæ etiam consequetur casuum singularium præuisio, nempe quod talis cœli status, tali constitutioni aptus sit & conducat ad prosperitatem, talis uerò contrarius & in aduersa impellat. Hæc igitur fieri posse ut percipiantur, ex his atq; similibus facile patet. Quod autem non sine causa, quàmuis immerito, quasi fieri ut percipiantur, nequeat, calumniam sustinent, nunc deinceps docere conabimur. Primum quidem intelligendum multa errata, eorum qui parum accuratè in re magnæ & multiplicis considerationis uersentur, derogare fidem scientiæ, & facere ut fortuita uideantur etiam quæ ueritatem complectuntur. Quod non recte fit. Nam hæc imbecillitas non est scientiæ sed professorum. Præterea bona pars quæstus gratia huius scientiæ nomen & dignitatem aliis artibus uaticinatricibus prætexere consueuere, qui cum fidem apud uulgus inuenerint, illis quidem imponunt, cum uideantur prædicere plurima, atq; ea quoq; quibus prædictis naturalis nulla ratio subsit, uerum qui rerum inquisitioni student, ex eo ipso etiam damnant prædictiones naturalibus rationibus munitas. Sed iniuria, nisi & philosophiam è medio tollendam censeamus, ideo quod qui illam professi sint, non nulli improbi repereantur. At est manifestum, multum falli in hac parte etiã diligentissimos & summo studio in mathematicis uersatos. Non fit hoc propter quicquam eorum quæ diximus, sed rei natura & infirmitate profitentium in tanto onere professionis. Nam præterquam quod materia quo modo sese habeat, generaliter consideramus, non certitudine aliqua, sed coniectura: præsertim quæ ex multis diuersisq; rebus concreta sit, hoc quoq; accidit, ut configurationes quas ueteres tradiderunt, & quibus nos iudicia accommodare consueuimus, pronuntiantes de iis quas nunc obseruamus, ut illi olim: eæ igitur configurationes ne semel quidem cum nostris similes & congruentes repertæ sint. Nã magis quidem aut minus concordare possunt, atq; id quidem immensis temporum ambagibus, prorsus autem conuenire nullo modo, cum omnium rerum cœlestium simul ac terrestrium instauratio (nisi cui lubeat inanitate quadã gloriosa ostentare scientiam & perceptionem earum rerum quarum nulla esse potest

test

test) aut non sit prorsus expectanda, aut non intra saltem tempus quod humano intellectu comprehendatur. Si quando igitur in prædicendo erratum fuerit commissum, ex eo usu uenit, quod subiecta exempla dissimilia inter se fuerint. Atque hæc una est in aeris exploratione difficultas, ad quam nulla accedit causa cõperiendorum motuum cœlestium. Quod autem ad Genethliologica & alia singilatim & peculiariter cõpositarum rerum iudicia attinet, per multa cernere est quæ singulares constitutiones illarũ adiuuent & conficiant. Quis enim nescit quantum seminum diuersitas ad proprietatẽ generis uniuscuiusq; momenti habeat, cum & hoc ipsius cœli circumfusi & definiti omnibus terris hemisphærii ambitus opus sit, ut uires omnibus seminibus instruantur quibus unumquodq; in sui generis effiçtione & informatione excellet, ut hominis, equi, & cæterorum? Loci etiam in quibus gignimur, ne ipsi quidem mediocres mutationes afferunt cõstitutionibus. Nam & singulorum generũ seminibus propositis, ut exempli gratia, humanis, & eodem in statu aeris, tamen multum diuersis in locis geniti & corporibus & animis inter se differre cõperimus. Et ut hæc omnia paria faciamus, ipsam tamen educationem & consuetudines, non nihil ad uitam degendã singilatim conferre constat. Quo circa, etsi uis maxima est circumfusi cœli, quod hæc omnia quæ diximus & ipsum in talem modum adornarit, cum illa contra in hoc nihil contulerint, tamen nisi quis & ipsa coniunxerit cum aereis causis multũ turbabuntur qui omnia arbitrati fuerint se se collecturos ex solo supernorum motu, etiam quæ ab illis absolute non dependeant. Ex his igitur facile poterit intelligi, quàm peruerse facturi simus, si propter quædã errata iudiciorum, ipsam totam rationem euertere uelimus. Neq; enim gubernandi artẽ ideo respuimus, quod gubernatores sæpe offendant. Ac si non potius ut in tanta & tam diuina professione grato quidem animo contenti fuerimus eo ipso quod supra uires nostras non sit, siue tanq̃ humano quodã more certa omnia ab ipsa postulauerimus, cum magis debeamus nostrũ studium ad illã conferre & bonitate quadam animi attribuere etiam aliena. Vtq; non uertimus Medicis uitio cũ & de morbo & de ægrotãtis natura sæpe percontantur, ita etiã hac in professiõne ut pigeat assumere & genus & regionẽ & alimoniam, atq; adeo non nihil etiam eorum quæ iã acciderũt.

CL. P T O L. D E I V D I C.
E S S E V T I L E M.



V O igitur modo fieri possit ut de Astronomia aliquid prænoscamus, & ulterius nō tendat hæc scientia quàm ad aeris accidentia & quibus ex ea causa homines efficiantur, quæ sunt ut opinor, prima compositio uirium & actionum corporis animiq; itemq; certæ affectiones & longæuitas & breuitas uitæ, præterq; etiam illa, si qua sunt cum his principiis proprie & naturaliter copulata, ut cum corpore res familiaris & conuictus, animo existimatio & dignitas quo etiam certi casus referendi erunt? Hæc igitur confido in superioribus esse explanata. Sequitur utilitatis consideratio, quam & ipsam paucis absoluemus. Sed prius constituendum uidetur quid utile hac in parte intelligi, & ad quem finem referri uelimus. Nam si animi bona spectabimus, quid poterit esse optabilius ad tranquillitatem, gaudium, felicitatem, quàm hæc de qua loquimur futurorum cognitio, quæ & humanorum & diuinorum contemplatores efficimur? Siue corporis magis à nobis respectus habetur nulla est scientia qua intelligi melius possit quid uniuscuiusque constitutioni aptius conducibiliusq; sit. Quòd si forte non est largitrix opum & gloriæ & aliorum huius generis, non feramus moleste, cum idem crimen totius philosophiæ inueniatur. Nihil enim horum ipsa quidem docet acquiri. Sed ut neque hanc ideo damnamus, ita etiam nostram scientiã conseruabimus, maiores & potiores utilitates persequentes. Omnino si quis exquirat, reperiet à nulla planè re quæ alicuius momenti sit, huius scientiæ reprehensionem duci. Hoc enim tantum dici audemus, superuacaneam esse cognitionem earum rerum futurarum quæ ineuitabili modo futurae sint, & dici ne hoc quidem diserte. Neq; enim etiã in iis rebus quæ necessario accidunt, ignoramus subitis & inopinis aduersitatibus animos magnopere percelli, & successibus extolli. Sed præuisio futurorum animum componit & moderatur meditatione absentium tanquàm præsentium, & præparat ad excipienda uentura cum trāquillitate & constantia. Non autem existimandum est omnia à supernis causis in res recta humanas deriuari, tanquàm inuiolabili & diuino quodam

edi

edicto proposito singulatim, ut nulla alia uis obsistere quin ita illa grassentur ualeat. Nam ipse quidem cœlestium corporum motus sempiternus est, & procedit diuino & inuariabili ordine & lege. Inferiora autem mutationibus subiiciuntur de superioribus quidem & primis causis, sed accidit hoc illis per consequentiam legis & ordinis naturalis & uariabilis. Præterea sunt quæ hominibus accidunt circumstantia aliqua generali, non autem ex uniuscuiusq; naturali & propria constitutione, ut si qua ingenti & ualida aeris conuersione, totæ gentes intereant, sicut fit in ardoribus, pestilentia, diluionibus, cùm semper minor causa maiori succumbat.

Alia autem eueniunt singulorum peculiari & naturali constitutione, per exiguas & faciles aeris contrarias affectiones.

Quibus hoc modo diserte cognitis, perspicuum fit, quod quæcūque à prima causa uel in uniuersum uel singulatim moueantur, hæc inuariabili modo procedere, cum illa insuperabilis sit & omni contra nitente ui præstantior. Quæ autem aliter se habeant, eorum quibus contrariæ affectiones contigerint, facilem esse conuersionem, quibus uerò defuerint, illa primas causas sequi. Hoc uerò fit in scientia hoīm, non illarū necessitate & potētia. Quod ipsum animaduertere est similiter geri in omnibus quibus naturalia sunt principia. Nā & saxa & germina & animātes, atq; insuper etiā uulnera & morbi & ægrotudines, partim necessarias affectiones, partim ex eo quod contrariam habet affectionem dependent. Atq; ita existimari par est, naturæ studiosos prædicere hac scientia euenturas res hominibus non inanitem quandā opinionū ingredients. Quæ enim habent multas & ingentes effectio num uires, euitari non possunt, cùm alia quibus illud non accidit facile cōuersiones admittāt. Hoc modo & medici si qui in notandis morbis exercitati sunt, planè præuident qui letales sint, quiue curabiles. De his igitur quæ mutationibus obnoxia sunt, ita audiemus differentem Genethliacum, ut si uerbi causa, talem orationem habeat. Quoniam talis est de qua loquor constitutio, fiet si proprietates aeris tali modo conuertantur, magis quidem aut minus ad subiectas cōgruentias, ut illinc talis quispiam morbus existat. Eodem modo & medici prædicunt de ulceribus, quæ uel ut serpant, uel ut putrescant, futurum pronunciant. Similiter & de me-

tallis exemplum dari possit, ut si quis doceat lapidem Magneterem, id est, Herculanium, ferrum ad se trahere. Nam quemadmodum horum utrunque per se tendit rectam uiam, inquam à primæ illius naturæ ui rapitur, si relictum sibi sit, ignoratione contrariæ effectiōnis, sed si medicinam contrariam ulceri opposuerimus, neque illud iam serpet, neque putrescet, neque lapis Herculanius illito alii succo iam ferrum attrahet. Sicut igitur hæc obsistunt, & contrarias effectiōnes inducunt naturaliter & fatali lege, ita in his quoque rebus fit de quibus loquimur. Ignorata enim aut præuisa quidē, sed neglecta tamen ea quæ hominibus euenire debeant, haud dubie seriem primæ illius naturæ sequuntur, præuisa autem & sortita curam, naturaliter & fatali etiam lege aut auertuntur penitus, aut leuiores efficiuntur. Cùm autem, ut semel dicam, nihil intersit quod ad hanc uim attinet inter generalia & singularia, mirum uideri possit, quæ nã de causa in uniuersum quidem persuasum plerisque sit & præuideri illa posse, & præuisis utilem esse attentionem. Maxima enim pars hominum fatentur se quoque uenturas cognoscere & annuorum temporum mutationes, & significationes stellarum inerrantium, necnon Lunæ configurationes. Adque eam cognitionem non mediocre cautionem adhibent magna cura præparantes ad æstus gelidifica, ad hiemes calidifica, omninoque dant operam ut rerum cunctarum naturæ temperentur. Preterea quo rectoria fiant omnia & in temporum cōuersionibus & tuto naues in portu soluantur, obseruant significationes fixarum stellarum. In coitu autem pecorum & sementibus configurationes Lunæ augescēte illius lumine, neque quisquam inuentus est qui hæc damnaret, ut quæ aut non obseruari possent, aut obseruata nihil afferrent fructus. Cur igitur negant esse singulatim præuisionē, ex proprietatibus reliquarum commissionū, ut æstus hyemesue intētiōres aut remissiores futuras, deque item uniuscuiusque propria constitutione, uel quare inutilem ferè in his cautionem esse uolunt? Cùm manifestum sit, si ad generales æstus gelidis instructi minus illum sentiant, simile posse efficientiam esse etiam in singularibus rebus, quarum constitutio augmenta magni caloris complectatur. Sed enim omnis hic error ex eo nascitur quòd ferè propter difficultatem in singularium præuisionibus parum exercentur, quæ res &

aliis

aliis penè omnibus scientiis fidem detrahere solet, quodque contrariæ effectiōnis uis negligitur. Et quia non multum inuenire est talem constitutionem & tam perfectam, cui non impedimentum à prima illa natura obiiciatur, ideo opinio extitit, incommutabiliter nobis uniuersa & ineuitabili modo penitus immitti. Verùm sicut ipsa præuisio, & si non nunquam incurrens, tamen quia aliqua sit, digna summo, nisi fallor, studio uidetur. Ita etiam de attentione faciendū iudico, ut quamuis non cuncta sanare possimus, tamen quæ possimus seu magna siue parua, in iis libèter & grato animo illam amplectamur & non uulgaris lucri instar ducamus ipsi us factam nobis copiam. Quæ omnia ita ut exposuimus sese habere cum & Aegyptii intellexissent, à quibus maxime auctã huius artis uim scimus, adiūxere ubiq; astronomicis præuisiōibus medicinæ præcepta. Neq; illi constituissent expiationes & auersiones & curas eorum que ab aere uel inciderent, uel imminerent, & in uniuersum & singilatim, si in ea opinione fuissent, amoueri illa aut auerti nullo modo posse. Nunc uerò quæ contrarias effectiōnes in ordine naturæ habeant, quasi secundo in loco satiponentes, coniunxere cum præuisiōnis ui, ad usum & fructum omnium, uiam præceptionum quas illi uocant compositiones iatromathematicas, quæ uox significat coniunctionem rerum medicarum cum mathematicis. Qua ratione Astronomia quidem declararet subiectarū constitutionū proprietates, & quid casuum cœlum circundans nos intenderet, & suas quorumq; causas, nam sine horum cognitione opem certã ferri posse non sunt arbitrati, quippe qui scirent non eandem omnibus corporibus aut morbis conuenire. Sed medicinæ scientia hoc efficiebat, ut & futuri mali auersio & præsentis curatio quo ad eius rectissime fieri posset, de concordibus aut contrariis singulorum effectiōibus existeret. Verùm de his ac summatim quidem hæctenus. Nunc transeamus ad explicationem harum rerum, ordientes ut in præceptionibus à primis, hoc est, quæ sit cœlestium corporum & propria uniuscuiusq; natura & efficacia, ita ut tradidere ueterū naturales obseruationes, præq; cæteris de stellarum errantium uiribus, de que Solis & Lunæ differamus.

De ui-

CL. P T O L. D E I V D I C.
D E V I R I B V S S T E L L A -
rum errantium.



Nimaduersum est naturam Solis effectū habere caloris paulatimq; siccitatis. Hunc nos etiam sensibus percipimus multo certius quā reliquarum stellarum, propter ipsius & magnitudinem, & euidentiā mutationum temporalium, quandoquidem quo propius sol accedit ad uerticalem nostrum locum, eo magis ea quæ diximus experimur.

At Luna propterea quod proxime terram fertur, unde humidæ exhalationes exeunt, plurimum madefacit. Atque ita prorsus subiecta corpora potissimum & mollia reddit & putrefacit. Habet tamen propter illustrationem Solis etiam calefaciendi communicationem.

Saturni stella maxime frigidica est, sed & nonnihil arefacit. Quod ut uerisimile est, & à Solis calore, & terræ humiditate longissime distat. Cæterum & huius stellæ & reliquarum uires exquiruntur etiam de obseruatione cōfigurationum ipsarum cum Sole & Luna. Nam secundum illas alias aliter pro intensione & remissione circumfusi nobis cœli modum constituere manifestum est.

Stella Iouis temperatæ naturæ est. Media enim fertur inter frigidicam Saturni & æstuosam Martis. Calefacit autem & humectat, sed quia calefaciendi uis præcellit, ideo fecundi ab illa uenti excitantur.

Martis stella & arefacit & urit, sicut congruit igneo ipsius colori & uicinitati Solari, cum subiectus illi sit orbis solis.

Stella Veneris easdem habet effectus, quod quidem ad temperationem attinet, quos Iupiter. Sed ratio est diuersa: Nam quod uicina est Soli, nonnihil calidifica est, sed multo uehementius humectat, quemadmodum & Luna, propterea quod ingenti luce prædita attrahit exhalationem humidam à proximis terræ locis.

Mercurii stella ferè quidē non minus aliquando arefacere quàm humores absorbere, propterea quod non ualde longe à Sole recedat: aliquando tamen & humectare deprehenditur, cum superposita sit terræ proximo orbi Lunæ. Subitarum autem mutationum in utranq; partem effectrix est in-

est inflata, quasi celeritudine comitatus solaris.

Quæ cum ita sese habeant, cumq; quatuor sint humores, seu primæ naturæ: Duæ fecundæ & uiuificæ, nempe calidi & humidi, ex his enim omnia & coalescunt & roborantur: Itemq; duæ exitiales & detrimentosæ, aridi & frigidi, unde rursus dissipantur & debilitantur omnia: Tradidere similiter ueteres, & stellas beneficas esse, Iouem, Vener. & Lunam eo quòd temperatæ naturæ sint, & in qua plurimum insit calidi & humidi. Stellam uerò Satur. & Mar. maleficas, quòd contrariæ sint naturæ & effectus. Alterā enim frigidissimam, alteram feruentissimam esse uoluerunt. In medio reliquerunt Solem & stellam Merc. ut participes utriusq; naturæ, suosq; effectus accommodantes illarum stellarum ad quas accesserint proprietatibus.

DE STELLIS MASCVLINIS
& fcemininis.



Vrsus cum primarii sexus duo sint: Masculinus & fcemininus, conferenda ex supradictis naturis humiditas ad fcemininum, quòd illa in hoc sexu abundet, reliquæ uerò ad masculinum apponentur. Proinde conuenienter traditur Veneris stella & Luna fceminini sexus, propterea quòd in illorum naturis humiditas excelat. Sol uerò stellaq; Saturn. & Iouis & Mart. masculini. At Merc. stella, utriusque particeps, cum ex pari sicca & humidæ constitutionis effectrix sit. Cæterum ipsæ etiam stellæ masculas fcemininasq; uires suscipere dicuntur, pro eo atq; erga Solem sese habuerint. Ac masculoscere quidem matutinas & antecedentes uespertinas & sequentes effceminari. Similiter pro eo atq; habuerint sese erga horizonta. Nam ab oriente usq; ad medium cœli, nec non & ab occasu usque ad imum cœli, masculoscere tanquam orientales, in reliquis autem duabus portionibus, tanquam occidentales effceminari.

C

De

C L. P T O L. D E I V D I C.
D E D I V R N I S E T N O C T V R -
n i s .



Ræterea cùm euidentiã temporũ discrimina di-
es & nox efficiat, & diurnum quidem spaciũ
masculũ censeatur propter calorem & rerum
gerendarum opportunitatem, nocturnum ue-
rò fœmininum, propter insitum humorem il-
li, & acquiescendi conuenientiam. Stellarum quoq; consimi-
li ratione nocturnam esse docuere ueneris & lunam, diurnos
solem & stellam iouis promiscuum merc. Sicut matutina in
figura diurnus, in uespertina nocturnus habeatur. Vtriq; etiã
conditioni attribuere maleficarum alteram, secuti non simili-
tudinem, sed diuersitatem naturarũ. Nam si stellis bonæ con-
stitutionis similia applicata fuerint, augentur uires bonitatis
illarum, sed exitialibus admista dissimilia coercent uehemen-
tiam maliciæ illarum. Qua de re frigidam saturn. stellam at-
tribuere calori diurno, ac martis siccam humidati nocturnæ.
Hoc enim modo utraq; ad temperatam conditionem acce-
det, postquã à contraria constitutione correcta moderatio-
nemq; adepta fuerit.

Q V I D V A L E A N T C O N F I G V -
rationes erga solem.



E q; ignorandum uires cùm lunæ tũ trium stel-
larum saturn. iouis & martis intendi aut remit-
ti de figurationibus erga solem. Luna enim ab
oriẽte usq; ad primum incrementũ cum qua-
si dimidiata apparet, efficiens est humiditatis
maxime. Inde uerò usq; ad plenilunium, caloris. Hinc etiam
usq; iterum ad dimidiationem, siccitatis. Atque etiam hinc
ad interlunium usq; frigiditatis. Et stellæ, quas diximus, ma-
rutinæ usque ad primam stationem, humoris plurimum ha-
bent. A prima uerò statione usq; dum oriuntur de nocte, ma-
gis calefaciunt. Hinc etiam usq; ad secundam stationem, ma-
gis desiccant, à qua quidem donec occultentur, magis frige-
faciunt. Atq; has singulæ uires in uniuersum quidem in cir-
cunfuso nobis cœlo exercent, quibus præualentibus uarieta-
tes tamen constitutionum plurimæ existunt, ex commistione
diuersarum stellarum, coercente contraria semper natura uni-
uscuiusque effectuum uehementiam.

De

L I B E R I.
DE VIRIBVS STELLARVM

inerrantium.



Vperest ut stellarum quoq; fixarū naturas & proprietates effectū percurreamus. Nunc igitur deinceps sicut de errantibus fecimus, percēsebimus & in his peculiariter obseruatas rationes. Ac primum quidem earum quæ per signiferū descriptæ sunt. In capite ariet. stellæ effectus habent commistos ex uiribus martis & saturni. Quæ in ore sunt idē possunt quod stella mercurii, nonnihilq; quod saturni. Quæ in posteriore pede, martiæ: in cauda ueneriæ sunt.

Vbi tauri signum quasi amputatū cernitur, ibi stellæ sunt naturam sapientes ueneris & saturni aliquātum. At uergiliæ lunam martemq; referunt. In capite inter fuculas una luce rutila excellens, quæ & facula dicitur, martia est.

Geminorum signum in pedibus stellas habet, quarum natura similis est naturæ merc. & nonnihil ueneris. In femoribus lucidæ stellæ saturniæ sunt. In capitibus duæ nitent, quarum prior mercurialis est, cognomento apollinis, posterior martia, cognomento herculis.

In cancri oculis stellæ duæ, effectum similem habent stellæ merc. & aliquantulum mart. In brachiis stellæ satur. sunt & merc. Illæ uerò in pectore quasi girus nebulosus præsepis cognomento, martius & lunaris est, iuxta quem utrinq; positi, ut uocantur, asini, martii sunt & solares.

Duæ stellæ in leonis capite idem possunt quod saturn. & paulatim accedunt ad martis etiam naturā. In ceruice tres saturniæ sunt & aliquantulum mercuriales. At illud in corde lucidum sidus, regulum uocāt, æquale est marti & ioui. Aliæ in ilio, & una cauda splendida saturniæ & ueneriæ. Aliæ in femoribus ueneriæ & nonnihil mercuriales sunt.

Virgo habet in capite stellas & unā supra alam australem idem pollentes quòd stella merc. & referentes nōnihil mart. quoq; naturam. Reliquæ in ala & quæ sunt in cingulo merc. sunt, & aliquantum ueneriæ. Vna in ala septentrionali, uindemiatoris nomine saturn. & merc. At illa quæ spica nominatur, ueneria & aliquantum martia est. Aliæ in extremis pedibus & uestimenti tractu, mercur. & nonnihil mart. sunt.

In chelis quæ sunt in iugo siue chelis scorpii extremæ

stellæ effectus habent similes stellæ Iouis & Merc. Mediæ uerò Saturni, & aliquantum Martis.

In ipso Scorpio, quæ in fronte sunt splendidæ idem ualent quod Mars, paulatimq; accedunt ad Saturn. quoq; naturam. Quæ in corpore numero tres, quarum media reliquis rutila luce præstat, nomenq; habet Græcum quo Marti comparatur, referunt naturam Mart. & nonnihil Iouis. Quæ sunt in nexibus dorsi Saturniæ, nonnihilq; Veneriæ. Quæ uerò in ipsa cauda, Mercuriales & Martiæ sunt. At girus ille nebulosus, ut dicitur, Martius est & Lunaris.

Ex stellis quibus Sagittarii signum effingitur, sunt in cuspide sagittæ Martiæ & Lunares. In arcu & ubi illæ manu comprehenditur, Iouiales & Martiæ. Ille in ore girus Solaris & Martius. Aliæ in fascia & dorso Iouiales, & aliquantum Mercuriales. Aliæ in pedibus Iouiales & Saturniæ sunt. Illa caudæ quatuor laterum figura Veneria, & aliquantum Saturnia est.

Stellæ quæ sunt in cornibus Capricorni, idem efficiunt quod Veneris stella, & ad mart. quoq; naturam paulatim accedunt. Quæ in ore, quòd Satur. habentq; nonnihil Vener. uirium. Quæ in pedibus & aluo martis naturam & mercur. Quæ in cauda, saturni & iouis naturam referunt.

In aquarii humeris itēq; ueste & manu sinistra, stellæ sunt effectus similis stellarum saturni & mercurii. In femoribus quæ cernuntur, magis mercurium, minus saturnum referūt. Quæ in profuso latice, saturni & aliqua ex parte iouis naturam habent.

Stellæ in capite piscis australis mercurii uires repræsentāt, habentq; saturni quippiam. In huius corpore stellæ mercuriales & Iouiales sunt. Quæ sunt in cauda & filo australi, cū naturam referant saturni, accedunt sensim tamen & ad mer. Quæ sunt in corpore & spina piscis septentrionalis, martiæ sunt, ualent tamen & uenerium quiddā. Quæ in filo septentrionali, saturniæ sunt & Iouiales. Illa in nodo splendida martis naturam & mercurii quoq; nonnihil habet. Reliquarum effigierum in regione septentrionis sunt stellæ in urfa minore lucidæ natura saturniæ, non tamen nihil uenerem quoque referentes. Stellæ uerò ursæ maioris martiæ sunt. Sub huius cauda quasi crines, lunares sunt & ueneriæ. Draconis splendidi

splendide stellæ saturniæ sunt & martiæ, atq; etiam iouiales
 Stellæ cephei saturniæ sunt & iouiales. Bootæ, mercuria-
 les & saturniæ. Rutilus ille fulgor qui arcturus nominatur,
 martius est & iouialis. Stellæ coronæ septentrionalis uene-
 riæ sunt & mercuriales. Quæ in signo quod in genua uide-
 tur procubuisse, mercuriales. In lyra ueneriæ & mercuriales
 Quibus idem ualent alitis quoq; stellæ. Cassiopiæ, saturniæ
 sunt & ueneriæ Persei, iouiales & saturniæ. Girus ille in ca-
 pulo ensis, martius & mercurialis. Aurigæ stellæ splendide,
 martiæ sunt & mercuriales. Serpentarii, saturniæ, quæq; ue-
 neris aliquid habent. Ipse quidem Serpens saturnius & mar-
 tius est. Sagittæ stellæ, martem referunt, habent & ueneris
 quiddam. Aquila, martia est & iouialis. Delphin, saturnius
 & martius. Stellæ lucidæ equi, uires habent martis & mer-
 curii. Andromeda ueneria. Delta mercuriale est. In regio-
 ne australi, est in rostro piscis australis stella lucida, potesta-
 te ueneria & martia. Cæti stellæ, sunt saturniæ. Orion in hu-
 meris stellas habet martis & mercurii naturæ. Reliquæ
 splendide iouiales sunt & saturniæ. Extrema splendida illa
 fluminis stella iouem, reliquæ saturnum referunt. Leporis
 stellæ saturniæ & Mercuriales sunt. Canis, ueneriæ. Vna in
 rostro fulgida iouis & aliquantum martis naturam habet.
 Hydri lucidæ, saturniæ & ueneriæ sunt. Crateris, ueneris ui-
 res, deq; mercurii aliquid habent. Corui martiæ & saturniæ
 sunt. Argo nauis lucidas stellas habet saturnias & iouiales.
 Centauri humana figura, stellas complectitur uenerias &
 mercuriales. Equina habet splendidas, uenerias & iouiales.
 Quæ in fera sunt splendide, saturnum referunt, & nonnihil
 martem. Quæ uerò in ara, uenerem & aliquantulum satura-
 num. Corona australis stellas habet splendidas natura satura-
 nias & mercuriales.

DE ANNI TEMPORIBVS ET

quatuor angulorum natura.



Tq; hæ sunt uires singularum stellarum, ut à
 ueteribus obseruatae fuere. Exquiri autem &
 anni temporum quatuor natura debet, quæ
 nominamus, Ver, Aestatem, Hyemem, Au-
 tumnum. Ac Ver quidem humiditatis pluri-
 mum habet, cum soluto frigore aura calore

C 3. diffun

diffunditur. At æstas calidior est, propterea quòd tū sol proxime uerticalem nobis punctum fertur. Autumni uerò propria siccitas est, humiditatem tum præterito æstu reprimente Hyems autem tota est frigida, quòd sol tum longissime distet à uerticali nobis loco. Sed cum signiferi nullū sit initium, ex ipsius quidem ut circuli natura: prætulere tamē aliis, principiumq; fecerunt arietis locum tribuentes ut inanimante primas, humido quo uer excellit, atq; ordine reliqua tempora annumerantes. Omnia enim animalia prima in ætate humido abundant, & mollia teneraq; sunt, sicut illa tempestas sentitur. Proxima uerò ætas ut æstas feruet. Tertia, tanquam deflorescens & prior interitui, arida est, autumnoque assimilis. Ultima, in qua animatis est corruptio, ita ut hyems, prorsus est frigida. Ad hoc exemplum quatuor anguli horiontis, ex quibus nascuntur totas illas partes occupantes uenti, etiam distribuuntur. Orientalis enim ariditatis plurimum habet, quòd cum ibi sol est, tum per noctem excitata humiditas desiccari incipiat. Hinc igitur uenti spirant aridi & desiccantes auras, qui ferè subsolani uocantur. At plaga meridionalis & calidissima ipsa est, propter flammationes solis in cœli medio, quod ut nostrarum terrarum situs est ad meridiem maxime declinat. Huius uenti nominantur communiter noti, suntq; calidi & rarifici. Cæterū locus occiduus, quòd ad illum cum sol peruenit, tum primum humiditas per diem exhausta diffundi incipiat & humectus ipse est, & qui inde exeunt uenti quos nominant fauonios, teneri sunt & madidi. Verū septentrio totus frigidus est, propterea quod pro situ nostræ terræ longissime absit à calore cursus solis per cœli medium, quiq; inde spirant uenti, communi appellatione dicti aquilones, frigidi sunt & congelatores. Utilis est harum rerum notitia ad iudicia singularum commistionum. Patet enim quòd de talibus constitutionibus, horarum, ætatum, angulorum, ipsa etiam stellarum efficientia uariet, quæ certe ut simplicior, ita & ualidior est peculiaribus aptisq; in locis, ut in calidis calidificæ, & in humidis humidificæ. In alienis uerò admistione diuersitatis debilitatur, ut in frigidis calidificæ, & aridis humidificæ, atque ita alia in aliis pro ratione & consequentia commistionis.

L I B E R I.
DE SIGNIS TROPICIS AEQVI-
noctialibus & bicorporibus.



Is expositis, annectere pergamus ipsorum etiam duodecim locorum, ipsorum traditas naturales proprietates. Ac ipsorum quidem generales constitutiones, rationem eandem habent cum suis temporibus, colliguntur tamen quaedam ipsorum proprietates à familiaritate solis & lunæ & reliquarum stellarum, sicut postea dicetur, ubi prius vires duodecim locorum simplices & quas per se, & quas erga sese inuicem habeant, explicauerimus. Primum discrimen solet fieri signorum, ut alia dicantur esse tropica, alia æquinoctialia, itemq; firma & bicorpora. Tropica sunt duo. Primum à solstitio æstiuo, hoc est, partes triginta cancri. Alterum à solstitio hiberno, id est, partes triginta capricorni. Atq; his nomen à re inditum est, quoniam sol, ubi hæc primum est ingressus, mox retro conuertit, abitq; diuersam latitudinis uiam, in cãcri quidem æstatis: in capricorno uerò hyemis autor. Sunt & æquinoctialia duo, unū quod est æquinoctii uerni aries. Alterum quod autumnalis libra, quibus & ipsis à re nomen est impositum. Cùm enim primū ad ea sol peruenerit, per totum orbem terrarum exæquantur diebus noctes. Ex reliquis octo signorū locis, quatuor firma uocantur: quatuor bicorpora. Firma quidem quæ tropica & æquinoctialia sequuntur taurus, leo, scorpius, aquarius, quod per illorum peculiaria tempora ubi ad hæc sol accessit multo uehementius sentiamus humores, calores, siccitatem & frigus. Non quod tum aeris status simplicior sit natura sua, sed quia nos aliquantulum in illis temporibus uersati ipsa mora vires eorum magis experimur. Bicorpora sunt quæ post firma numerantur gemini, uirgo, sagitt. pisces. Inter enim firma tropicaq; & æquinoctialia posita, & initio & fine communes naturas cum illis habent, quæ & antecedunt & sequuntur.

De

CL. P T O L. D E I V D I C.
D E S I G N I S M A S C V L I -
nis & fœmininis.



Ræterea sex loca signorū masculino sexui & diurnæ conditioni attribuere, totidemq; fœminino & nocturnæ. Ordinis autē huius ratio consequentia & serie ipsa constat, ita ut uicinitas coniunctioq; est diei & noctis, maris & fœminæ, cumq; initium arieti tribuatur, propter causas à nobis expositas, & mares principes dominiq; sint naturaliter, semper enim quod agit potentia prius est eo in quod agitur. Arietis quidē locus, atq; idem libræ masculina signa esse accepimus & diurna. Vel ob hanc etiam causam quòd per hæc circulus æquinoctii describitur, qui primæ & maximæ rerum omnium agitationis autor est. Ab his igitur serie singilatim seruata consequenter ordinis ratio ducitur: id est, ut masculinis & diurnis continue fœminina nocturnaq; subiiciantur. Nonnulli tamen masculina signa ab orientali loco qui horoscopus dicitur, ordientes disposuerunt. Sicut enim aliqui tropicorum locorum initia à lunari circulo ducunt, quòd celerrimæ Lunæ cōuersiones sint, ita & illi principium tribuere masculinis locis orientem propter subsolanum. Horum etiam alii seriem cōsequentiamq; singilatim ut diximus secuti sunt. Alii totius circuli in quadrantes diuisionem. Loca quidem ab horoscopo usq; ad $m c.$ hisq; opposita, ab occidua plaga usq; ad $1 m.$ matutina & masculina nominantes: uespertina uerò & fœminina, quæ sunt in reliquis binis quadrantibus. Sunt & aliæ appellationes locis factæ, de formis signorum, ut aut quadrupedia dicerentur, aut terrestria, aut ducalia, aut fœcunda, aut aliquid huiusmodi. Quorum omnium cum ex ipsis figuris causæ manifestæ sint, nos illa uerbosè persequi superuacaneum duximus. Cum quidem expositæ à nobis sint huiusmodi imaginum naturæ, quatenus in iudiciis utiliter uires illorum considerari deberent.

De

LIBER I. DE CONFIGURATIONE

duodecim locorum.



Amiliaritas autem intercedit locis zodaici secum, primum iis quæ cum aliis aliquam figurarum describunt, quæ sunt dimetiens: id est anguli bini recti. Signa autem sex, partes centum lxxx. Triquetra, hoc est, angulus rectus unus atq; insuper triens illius. Signa uerò quatuor, partes cxx. quadrata, hoc est, unus rectus angulus, tria signa, partes xc. Sexangula, id est, illæ reliquæ duæ partes anguli recti, signa duo, partes lx. Cur autem hæc tantummodo discrimina recepta fuerint, hinc cognitu facile erit. Atq; ipsius quidem diametri ratio per se patet, nam oppositio est in una linea recta. Cæterum si maximas duas portiones conuenientes, atq; item supra portiones accipiamus. Nempe rectangulorum duum ex diametro dimidium & trientem, quæ portiones conuenientes, atq; item supra portiones sunt, fit ut dimidiatio tetragonum constituat, Triens uerò sexangulum supra portionum autem si constituatur à rectangulo quadrato hemiolion, hoc est, sesquiplum, & epitriton, hoc est, sesquitertium, illud discernit quadratam à sexangula, hoc triquetram figuram à quadrata, quarum quidem figurarum triquetra & sexangula conuenientes putantur, quia consimilia loca signorum complectuntur, hoc est, omnia aut masculina aut sceminina. Incōuenientes uerò figuræ habentur quadrata & dimetiens, quod illæ per dissimilia loca constituantur.

DE IMPERANTIBVS ET OBE- dientibus signis.



Incuntur etiam imperantia & obedientia loca, quæ æquali spacio distant, seu ab uno siue ab utroq; punctorum æquinocetialium, eo quòd æquali spacio temporis peroriatur, eosdemq; describant parallelos. Cæterum quæ in æstiuæ spheræ parte sunt imperantia, quæ in hiberna obedientia nominantur, quia sol illic dies, hic uerò noctes incipit producere.

D

De

CL. P T O L. D E I V D I C.
D E I N T V E N T I B V S E T E I V -
s d e m p o t e n t i æ s i g n i s .



Ræterea dicimus eiusdē potentiaē esse eas partes quæ æquali spacio distant seu ab uno seu ab utroq; puncto tropico, fit enim per illas partes sole meante ut spacia dierum ac noctium, itemq; horarum sibi respondeant. Itaque & intueri sese mutuo illa signa dicuntur, cum ob eas causas quas exposuimus, tum quod utraq; & ab iisdem partibus horizonis & oriuntur & occidunt.

I N C O N I U N C T A .



A uerò quæ nullam habet enumeratū societatum rationem loca, inconiuncta & aliena nominamus. Quæ neq; imperant, neq; obediūt, neq; se intuentur, neq; idem possunt atq; insuper nullam quatuor illarum figurarum describunt, quas diximus esse demerentis, triquetram, quadratam, sexangulam, sed uel secunda uel sexta numerantur. Nam illa quasi à se mutuo detorquentur, & cum bina sunt, singulos angulos complectuntur. Illa uerò quæ sexta numerantur, totum orbem in partes inæquales secant, cum aliæ figuræ omnes in partes æquales illum diuidant.

D E D O M I B V S .



Diunguntur etiam planetæ locis signiferi, propter domos: ut nominantur, & triangula, & altitudines & fines & quidquid huiusmodi est. Domū autem ratio naturalis hæc est. Quia ex duodecim signis duo proxime accedunt ad uerticalem nobis punctum, ideo calores & æstus generant, ea sunt cancer & leo, placuit attribuere illa duobus præcipuis & maximis, hoc est, ipsis luminibus, Soli quidem leo, propterea quod masculinum est signum. Lunæ uerò cancer, quod fœmininum esset. Atq; ita factum est, ut conuenienter dimidium orbis à leone usq; ad capricornum solare uocaretur, dimidiumq; ab ab aquario usq; ad cancrū lunare, ut in utroq; possent singula loca suis stellis assignari, quarum alia figuras cum sole, alia cū luna describerent, pro
conueni-

conuenientia orbium motus ipsarum & naturæ proprietate. Nam saturno quòd natura maxime frigidificus esset, quodq; supremum & à luminibus remotissimum haberet orbem ob contrarietatem caloris, opposita signa attributa fuere cancer & leo, capricornus & aquarius. Quæ signa & ipsa sunt frigida & hiberna, & propter oppositionem malefica. At ioui qui esset temperatæ naturæ & subiectus saturni globo, data sunt proxima illis signa spiritu & fecunditate præstantia. Sagittar. & pisces, quæ cum luminum signis triquetra figurâ describunt, quæ conueniens est beneficentiæ. Post quem marti desiccatori, & subdito sphaeræ iouiali, similiter proxima his ascripta sunt, quæ & ipsa similem haberent naturam scorpio & aries quadrata dispositione, ut congruebat illius corruptrici & noxiæ cõstitut. oni. Veneri uerò, quòd natura esset tēperata & sub marte, dedere coniuncta his signa quòd fecundissima essent libra & taurus. In quibus & ipsis situs sex angularis custoditur. Neque ipsa etiã hæc stella amplius duobus signis unquã neq; anteit, neq; sequitur solem. Mercurio, qui & ultimus neq; unquã ultra unum signum ab esset à sole, omniumq; aliarum stellarum infimo in loco, data fuere proxima signa luminum signis, gemini & uirgo, quibus & ipsis ambobus ferè in primis uicinus ferretur.

DE TRIANGVLIS.



Riangulorum conciliatio talis est. Nulla sanè figura magis cõsentiens est, quàm triquetra æqualium laterum, ipseq; signifer tribus circulis definitur, æquinoctiali & duobus tropicis. Ipsius uerò duodecim loci diuiduntur in triangula æqualium laterum quatuor.

Horum igitur primum ducitur per arietem, leonem & sagittarium, tria signa masculina: quæ sunt solis, martis, & iouis domicilia. Hoc triangulum ascriptum soli & ioui. Mars enim propter alienam conditionem exclusus fuit. In administratione autem primas tulit interdum sol, nocte iupiter. Locus autem arietis æquinoctialis est, Leonis æstiuus, Sagittarii hibernus. Idem triangulum potissimum aquilonare est ob iouis dominium, quippe qui sit fecunditatis & spirituum autor, sicut & aquilonares uenti. Sed admiscetur tamen huic

CL. P T O L. D E I V D I C.

& africanus, propter mart. domum, ita ut fiat triangulum, ut Græci uocant, Borrolibycum, quod misturam aquilonis & africi significat. Nam africanos mars excitat, qui conditionem lunarem sequitur, cum & occidua cœli plaga effœminata habeatur. Secundum triangulum ductum per taurum, uirg. & capri. quodq; constat signis tribus fœmininis lunæ & ueneri datur. Ipse taurus uicinior æstiuo circulo est, uirgo æquinoctiali, capricor. hiberno. Hoc triangulum potissimum australe est, propter ueneris dominationem, cuius stella illius partis uentos suscitatur, propter ualidi & humidi uim. Quia uerò & subsolanum admittit propter saturn. domicilium capri. qui hunc uentum ciēt, quiq; orientem propter conditionem solarem tenet, fit hoc tanquàm priori oppositum, ut ita dicam, Austrisolanum. Triangulum tertium gemini, libra, aqua. complectitur tria signa masculina. Alienum prorsus à mart. proprium uerò saturn. & merc. propter duas illorū domos. Quare his præmissa administratio est diurna quidem saturn. conditionis causa, nocturna uerò merc. Ipsum quidem signum gemini uicinum est circulo æstiuo, libra æquinoctiali, aquar. hiberno. Hoc triangulum potissimum est subsolanum propter saturn. Sed quia conditionis nomine iupiter conciliatur saturno, admiscetur uentus iouialis aquilo, ut fiat triangulum, Græca uoce borrapelioticum, quod significat confusionem solani cum aquilone. Quartum per cancerum, scorpi. & pisc. relinquatur marti qui solus restet, quiq; ius sibi huius uendicet propter domicilium suum. Adiunctæ tamen huic sunt sociæ administrationis, cum propter conditionem, tum propter signa fœminina, nocte quidem luna, interdiu uerò uenus. Ipse cancer in æstiuo est circulo, scorpio accedit ad hibernum, pisc. ad æquinoctialem. Hoc triangulum potissimum est africanum, propter dominium mart. & lun. Sed propter uener. cōmitione austri fit notolibycum: id est, austri africanum.

DE ALTITUDINIBVS.



Altitudinum planetarū, ut uocant, ratio hæc est. Cum sol ubi ad arietem peruenit in semicirculum aquilonarem conscendere incipiat, ubi uerò ad libram deiici & deferri ad austrum non inconuenienter ipsi tribuere in ariete altitudinem, cum etiam dies tum crescant, & calor.

Ior uiuificus exoriatur. Eidem libra, ut deiectione constituta est propter contraria causas. Saturno ut soli opponeretur, sicut & illius domicilium, uoluerit oppositum signum libr. altitudinem, arietem deiectionem esse. Nam ubi calor intenditur, ibi remitti frigus necesse est, contraque ubi hoc augetur, illud diminuitur. Cæterum cum luna à congressu cum sole in ariete primum appareat luceque augetur & quasi extollatur in tauro trianguli sui principie signo, ideo taurus illius altitudo perhibetur, eidemque oppositum signum scorp. deiectione. Iouis autem uis cum pateat in suscitatione aquilonarium & fœtificorum flaminum, extollitur à cancro in aquilonem maxime, intendunturque ac complentur illius uires, ideoque hoc signum ipsius altitudo dicitur, deiectione uerò capricorn. At mars qui natura est æstuosus multoque quam alibi in capr. magis, quod ibi terræ sit proximus, eam ob rem merito accepit altitudinem signum iouiali altitudini oppositum capr. Deiectionem autem cancer. Sequitur stella ueneris, quæ cum humidi maxime efficiens sit, eumque potissimum in piscibus effectum exercent, unde humiditas uernalis moueri cernitur, in illo loco inuenit altitudinem, deiectionem uerò in uirgine. Iam mercurii aridiuscula stella ut contrariæ efficientiæ contrariam etiam altitudinem in uirgine, cum impendet iam autumnus siccitas, ipseque quasi extollitur, deiectionem uerò in pisc. sortita est.

DE FINIBVS.



Iniū ratio duplex est. Vna Aegyptiaca quæ principatus modo domiciliorum obseruat. Altera Chaldaica, accommodata ad triangulorum administrationes. Ac Aegyptiaca quidem quomodo uulgo tenetur, non admodum seruat neque ordinis neque numerorum consequentiam. Primum quod in ordinatione finium nunc priores dat domiciliorum, nunc triangulorum dominis non etiam nunquam altitudinum, ut exempli causa quæri possit, si domiciliorum dominos respiciant, cur, si forte de saturno sermo sit, primas illi tribuerint in iugo, ac non ueneri potius. Itemque in ariete, cur iupit. potius quam mars. Quod si triangu-

lo-

lorum dominos spectent, cur principem locum assignent in Capricorno mercurio, ac non ueneri potius. Iam si placeat altitudinum principatus, cur ducit agmen in cancro mars, ac non potius iupiter? Iam si hæc aggregent singulis, quiq; horum obtinuerint plurima illi præstantiam concedant, quæramus licet cur præcedat reliquis in aquario mercurius, cui in illo loco præterquam trianguli ius nullum est, cum saturnus teneat & domicili & trianguli. Quin etiam mercurium cur in capricor. primum in ordinem statuerint, qui planè ab illo sit alienus. Huiusmodi inconuenientiam in reliqua serie passim animaduertere, deinde numerum etiã finium incongruum esse manifestum est. Nam quod aiunt singulariũ stellarum ex terminis collectum numerum eundem esse quem eadem attribuat in annis, rationem propriam aut probabilem habere nõ uidetur. Quin etiam, si tali collectioni quod ad annorum attributionem attinet credamus, quia hoc ab Aegyptiis asseueratur, fieri tamen potest, ut idem conficiatur etiam si aliter & diuersis modis terminorũ numerus per singula signa exquiratur. Quòd autem aliqui sapere & probare uolunt hanc rationem, contra ueritatem manifesto nituntur. Nam planè falsum est quod aiunt, illum numerũ singularum stellarum temporalem effici secundum ascensionum rationes. Primum enim sequuntur uulgares traditiones de planis ascensionum eminentiis, quæ ne minima quidem ex parte ad ueritatem accedunt. Nam secundum illas in parallelo inferioris Aegypti, uolunt exoriri signum uirginis & libræ temporibus 38. & triente. Leonis uerò scorpii tempo. 35. Cùm demonstratur per lineas quod hæc plus temporis in exortu consumant: illa uerò, hoc est, uirgo & libra, minus. Præterea qui hæc conquiserunt ne secutos quidem apparet numerum finium ab aliis traditum, quàmuisque multa necessario commenti, atq; alicubi ipsarum portionum portionibus usi fuerint, quo constaret ipsis quod proposuissent tamen ne sic quidem ad ueritatis metam peruenisse cognoscuntur. Quæ autem ferè traditur ab illis ratio finium propterea, quòd ut diximus, plurimum huic fides tribui solet, ad subiectum sese modum habet.

Fines

L I B E R I.
FINES AEGYPTIORVM.

Ar.	Iup.	6.	Ven.	6	Mer.	8	Mar.	5	Satur.	5.
Tau.	Ven.	8.	Mer.	6	Sat.	8	Iup.	5	Mar.	3
Gem.	Mer.	6.	Iup.	6	Ven.	5	Mar.	7	Satur.	6
Can.	Mar.	7	Ven.	6	Mer.	6	Iup.	7	Satur.	4
Leo.	Iup.	6	Ven.	5	Satur.	7	Merc.	6	Mar.	6
Virg.	Mer.	7	Ven.	10	Iup.	4	Mar.	7	Satur.	2
Lib.	Sat.	6	Mer.	8	Iup.	7	Ven.	7	Mart.	2
Scor.	Mar	7	Ven.	4	Merc.	8	Iup.	5	Satur.	6
Sag.	Iup.	12	Ven.	5	Merc.	4	Sat.	5	Mart.	4
Capr.	Mer.	7	Iup.	7	Ven.	7	Sat.	4	Mar.	5
Aqua.	Mer.	7	Ven.	6	Iup.	7	Mar.	5	Sat.	5
Pil.	Ven.	12	Iup.	4	Merc.	3	Mar.	9	Iup.	2

IVXTA CHALDAEOS.



Ratio Chaldaica simplicior quidem est magis
que persuasibilis, sed non perinde absoluta,
cum ipsa in serie, quam ad triangulorum do-
minationes refert, tum numero quoque finium.
Hæc etiam absque præscriptione perspici faci-
le poterit. Nam in primo triangulo ari. leo.
& sagittar. similiter per signa definiunt terminos, sicut pri-
mum locum teneat dominus trianguli: id est, iupiter. Se-
cundum sequentis trigoni, præsens ea est uenus. Ponantur
tertii dominatores consequenter, ii erunt satur. & mercu. &
ultimo mar. dominator postremi trianguli. In secundo tri-
angulo, ubi similis per signa distributionem seruant, primus
locus est uener. Secundus & tertius, saturn. & merc. Quar-
tus, mar. Quintus, iouis. Ad hunc modum ferè sese habet
etiam in reliquis duobus triangulis finium terminatio. Cæ-
terum ubi sunt minus duo dominatores, saturn. inquam, &
merc. principatum ordinis sui tenebit interdium saturn. noctu
merc. iam numerus finium ne ipse quidem inuolutus est. Ut
enim quæque stella alteram ordine præcedit, ita una parte uo-
luerunt excellere. Sic fit ut prima semper habeat partem 8.
Secunda 7 Tertia, 6. Quarta, 5. Quinta, 4. quibus nume-
ris triginta confiunt, Ex hac distributione colliguntur satu-
par-

CL. P T O L. D E I V D I C.

partes diurnæ 78. nocturnæ 66. iouis 72. martis 69. uener.
75. merc. diurnæ 66. nocturnæ 78. quæ omnes partes sunt,
360. Ex his duabus rationibus finium dignior est cui acce-
datur Aegyptiaca, propterea quod pro utili ab Aegyptiis
scriptoribus illa est tradita, & quod penitus congruant par-
tes in illa finium cum exemplaribus genituris, quas Aegyptii
collectas habent. Verum cum scriptores nusquam ipsorum
neque seriem neque singulatim numerum declarauerint, suspi-
tioni fuerit atque etiam reprehensionem ista incertitudo obnoxia.
Sed ad nostras manus peruenit liber peruetustus, multis iam
in locis ætate consumptus, in quo contineretur naturalis &
conueniens ratio ordinis & numeri illorum, concordabatque
& inexpressis genituris partium descriptio, & totius numeri
comprehensio cum ueterum traditione. Cæterum oratio e-
rat expositionis cum uerbosa tum multa superuacua argu-
menta complexa. Ipse uero liber mutilatus, ut ægre à nobis
generaliter dictorum sententia perciperetur, etsi non parum
adiuaret ipsorum finium percensio, quæ in fine libri inte-
grior remanserat. Sed tota ratio exquisitiorum illorum ita se
habet, nam in ordine signorum assumuntur altitudines, trian-
gula & domus, quorum si qua stella duorum compos fuerit
in eodem signo, illa principem locum tenet, quamuis malefi-
ca fuerit, quod si hoc non usu uenerit, maleficæ semper in lo-
ca ultima collocantur. Sed altitudinum domini præponun-
tur dominis triangulorum, atque hi domiciliorum dominis
consequenter quidem secundum signorum seriem, ita etiam
ut duplicis administrationis stella antecedit semper haben-
tem simplicem. Cancer tamen & leo domicilia solis & lunæ
attribuntur maleficis, nam finibus luminaria non includun-
tur, maleficæ autem in illis potentiores inueniuntur, & canc.
quidem mar. leo autem fat. habetur, atque his conueniens or-
do conseruatur. Sed numerus sic exquiritur. Si non inuenia-
tur stella dominatrix duplici modo, uel in eodem signo, uel
in sequentibus duobus, tum dari solent beneficis: hoc est, io-
ui & ueneri, singulatim septenæ partes, sed maleficis: id est, sa-
turn. & mar. quinæ. Merc. autem qui communis est, senæ,
quibus numerus 30. partim expletur. Sed hoc est accipien-
dum de iis, qui non nisi simplici modo dominantur. Verum
cum aliquæ duplicem rationem habeant, nam uen. sola est
domina

L I B E R I.

domina trianguli Canc. & Tau. cum Lun. finibus non claudatur. His igitur singulatim una pars adiicitur, siue hanc rationem in eodem signo, siue in proximis duobus, hoc est, uno quadrante habuerint, atq; talibus adiectis partibus animaduerti in memorata percensione fuisse punctula superposita, sed adiecticiae duplici huic rationi partes auferuntur, & reliquis & solitariis plerunq; quidem à Sat. sed tamen à ioue quoq; propter tarditatem motus. Horum autem & ipsorum finium descriptionem in sequentibus expositam subieci-

Ar	Iup.	6	Ven.	8	Mer.	7	Mar.	5	Satur.	4
Tau.	Ven.	8	Mer.	7	Iup.	7	Sat.	4	Mar.	4
Gem.	Mer.	7	Iup.	7	Ven.	7	Sat.	4	Mar.	5
Can.	Mar.	6	Iup.	7	Mer.	7	Ven.	7	Sat.	3
Leo.	Sat.	6	Mer.	7	Ven.	6	Iup.	6	Mar.	5
Virg.	Mer.	7	Ven.	6	Iup.	5	Sat.	6	Mar.	6
Lib.	Sat.	6	Ven.	5	Iup.	8	Mer.	5	Mar.	6
Scor.	Mar.	6	Iup.	8	Ven.	7	Mer.	6	Sat.	3
Sag.	Iup.	8	Ven.	6	Mer.	5	Sag.	6	Mar.	5
Cap.	Ven.	6	Mer.	6	Iup.	7	Mar.	6	Sat.	5
Aqua.	Sat.	6	Mer.	6	Ven.	8	Iup.	5	Mar.	5
Pisc.	Ven.	8	Iup.	6	Mer.	6	Mar.	6	Sat.	4

Nec desuere qui partirentur etiam subtilius dominationum iura, nominarentq; loca & partes, illa quidem uolentes accipi duodecimam uniuscuiusq; signi portionem, id est partem 11, & dimidiam. Incipiunt autem attribuere ius sequentibus semper signis ab eo in quo stella fuerit inuenta, sed non hac una, uerum aliis quoq; ratione carentibus modis. Partes autem ascribunt iterum à principio signorū omnibus singulatim stellis ordine exposito in Chaldaicorum finium demonstratione. Sed hæc ut disputabilia & naturali ratione carentia, magisq; ostentationi comparata, prætermittamus. Hoc monentes quod scitu dignum est, signorū uel locorū duodecim initia sumenda ab æquinoctialibus & tropicis, quod & ipsum à scriptoribus ostenditur, & quod ut exposuimus, illorum naturæ uires, societates, de æquino-

E

ctiali

Etialibus & tropicis Solis initiis existūt. Quod si alia initia constituerimus, aut signa ab usu iudiciorum necessario excludemus, aut assumentes multum frustrabimur, quippe cum præterita & mutata fuerint spacia signiferi, à quibus illis vires inferuntur.

DE SVA CVIVSQUE STELLÆ persona, & carpentis ac foliis.



Tq̃ hoc ferè modo sese habent familiaritates stellarum locorumq̃ duodecim. Dicuntur autem stellæ & suas quasi personas gerere, quod uidere facie ad faciem uulgus uocat, cum singulæ eo modo cū Sole autetiam Luna configurētur, quo domicilia ipsorum cū domiciliis luminū, ut uerbi causa, Venus in sexangula cōfiguratione cū luminibus, sed cum Sole uespertina, cum Luna matutina esse debet, pro eo atque etiam domicilia collocata sunt. Suis aut quasi in regiis curribus & carpentis inuehi, & foliis insidere & in huiusmodi excellentiis tum esse dicuntur, cum duobus aut pluribus nominibus declaratū in superioribus familiaritatis ius exercuerint in iis locis stellæ quibus institerint. Nam quia tunc ipsorum maxime efficaces vires fiunt, propter conuenientiam & similitudinem & quasi collocatam operā duodecim locorum, ideo foliis suis insidere & illustres dicuntur Gaudere etiam uolunt, cum loca in quibus stella fuerit nō ipsi sed alteri suæ conditionis obnoxia sunt, quæ quidem factis è longo congruitatis ratio ducitur, sed similitudo illam tamen efficere putatur. Contra autē si in locis alienis & contrariis conditioni suæ inueniatur, ualde diluitur peculiaris ipsarum uis, diuersarum naturarum confusione, propter dissimiles signorum constitutiones.

DE APPLICATIONIBVS & defluxibus.

IN uniuersum ante intelligimus applicare præcedentes sequentibus, defluere autem à præcedētibus sequentes, sed non oportet longum esse interuallum Idq̃ intelligitur & in corporeis congressibus & in configurationibus illarum. Nisi quod in corporeis congressibus applica-

plicationis & defluxus etiam latitudines conuenit notari, nam non nisi eos qui in linea per media signa ducta existunt admittere consueuimus, quod in configurationibus obseruare superuacuum fuerit, cum radii uniuersi eodem, id est, in terræ punctum intimum tendant atque ita undecunque emissi semper concurrant. Ex quibus omnibus euidentis fit habitudines stellarum singularum exquirendas cum ex propria natura earum, tum de natura signi in quo fuerint, nec non secundum configurationem ad Solem & cardines, quæ cuncta à nobis indicata sunt. Sed uires assumunt primū si orientales sint & cursum suum intendant, tū enim plurimum possunt, sicut minimum si occidentales sint & remittētes cursum suum. Deinde proposito suo & respectu erga finitorē, nam in medio cœlo aut succedenti illi loco potentes maxime, sed potentes etiam sunt in ipso finitore & succedenti loco plurimum autem possunt in finitore orientali, contra uerò minus in imo cœlo aut alio conformi finitori orientali loco. Sed extra hæc omnia reperti imbecilles & prorsus infirmi habentur.

Finis libri primi.

E 2

Claudii Ptolemæi Ma-

THEMATICI DE IVDICIIS,

LIBER II.



Actenus quidem percurrimus ea, quorū maxime cognitionem prædictiones rerum singularium requisitæ uiderentur, exponentes per certa quædam capita quasi in tabella. Nunc igitur deinceps explicabimus rationem uniuscuiusque rei, cuius quidem præcognitio esse possit, sequentes ubiq; naturalem quendam modum expositionis. Cū autem prædictiones astronomicæ in duas potissimum & proprie partes diuidantur, quarum una & prior totas gentes, regiones, urbes generaliter, quam nominant uniuersalem, altera particularis, singulorum hominū fata complectatur, quæ dicitur à genituris Genethliologica, conueniens uidetur de uniuersalibus priore loco disputare, quando hæc quidem maiore uel quadam & efficacioribus à causis mouentur quàm particularia. Iam cū necesse sit summitti imbecilliores naturas ualentioribus atque adeò particularia uniuersalibus. Si quis singularium rerum prædictionibus operam dare uelit, non possit sine compræhensione generaliorum esse ad illas instructus. Cæterum hæc ipsa uniuersalis consideratio, aut est totarum regionum aut harum & urbium. Præterea interdum grauiora & certarum quasi recursionum casus exquiri solent, quales sunt bellorum, pestilentiarum, diluuii & huiusmodi. Interdū leuiora & minora, ut annuæ tēpestatis intentio uel remissio, itemq; hyems aspera uel leuis, deque uētis & æstu similiter, nec non fertilitate & infœcunditate, quæq; sunt alia generis huius. Horū potius priusq; habendū ob eam quam reddimus causam, illud quod totarum est regionum & maiorum casuum. Horū cognitio cū duo requirat, primum quarum inclinationum terrestrium quæque loca signiferi & quæ stellæ commendationem habeant,

&

& quales in suis locis certis temporibus significationes futurorum dentur, in coitu quidem luminum defectus, errantium uerò in stellarum motibus ortus & statio, ante omnia huius quasi consensionis naturales causas exquiramus, obiter etiam percurrentes gentium ipsarum proprietates corporis ac morum, qui quidem cognoscantur nequaquam discrepare à naturali constitutione cum stellarum dominantium tum locorum zodiaci quibus subsint.

DE PROPRIETATE VNIVERSALI gentium.



Volent igitur gentiles proprietates distingui aut per totos parallelos & totos angulos, aut per situm erga eclipticam & Solem ipsarum. Nā nostræ terræ quæ iacet in uno aequilonari quadrante, incolæ qui subiecti sunt australioribus pararellis, id est, iis qui describuntur ab æquinoctiali usq; ad tropicum æstiuum, cum supra uerticem illorum feratur Sol, quasi ustilatis nigrisq; corporibus uidentur & capillo esse crispo & dēso facie etiam contracta & statura contorta, natura ferè calidi moribusq; feris propter magnitudinē æstus in locis suis, quos Aethiopus uocare cōsueuimus, qui & ipsi ad expositū modum se habent. Et aeris ibi talis cōstitutio est, omnesq; animantes ac quæ nascuntur è terra cum his cōgruere reperiuntur. At qui subsunt aequilonariis parallelis, hoc est, sub septentrionibus posita loca incolunt, cum eorum punctus uerticalis à signifero & Solis calore absit, ideo etiam frigore & humiditate abundant. In qua cum alimenti copia insit, nō exhauritur ipsa à uicino calore. Ibi sunt igitur colore albo homines, capillo promisso, statura proceri & bene habiti, natura subgelidi, sed & ipsi moribus feris propter frigoris illis in locis uim. Et cōueniens cū his accidit hyemis magnitudo, & è terra nascētiū grāditas, & animantū feuitia. Hos uocamus generaliter Scythas. Qui aut loca tenent interiecta inter tropicū æstiuum & Septentriones, quia neq; supra uerticem illorū Sol fertur, neque inde longissime ad Austrum recedit in aere degunt ualde illo quidem temperato & singulariter, sed frigoris æstusq; differentiæ admodum paræ notantur, quapropter

propter & medio quodam colore & mediocri statura & natura temperata sunt, habitationibus coniuncti & moribus mansuetis. Horum etiam propiores Austro ingeniosiores & calidiores, & rerum diuinarum periti magis esse consueuere quod punctus ipsorum uerticis propinquior sit cum signifero, tum errantibus sub illo stellis, pro quarum quasi familiaritate & ipsi animos habent promptos & faciles in comprehensione ac uestigatione rerum ac artium, maximeq; earum quæ proprie Mathematica uocantur, præterea orientales horum uiriliores sunt, & animis firmis, nihilq; celantes. Orientem enim iure Solaris naturæ esse dixerimus, proinde & pars illa diurna & uirilis & dextra putanda. Cernimus autem in animantibus quoq; dextra esse magis ualida & robusta, contra occidentales effæminatiores sunt & molliores, & occultatores. Nam hæc pars Lunæ debetur, quæ ab occidente semper post interlunia conspiciendam se præbet, atq; ob hanc causam & nocturna & sinistra, ut opposita orienti traditur.

DE FAMILIARITATE LOCORVM
& triangulorum & stellarum.

AM uerò sequuntur hæc etiam de duodecim signiferi locis certi modi proprietates morum & naturalium institutorum. Ut enim in prædictis constitutionibus aeris & iis quos generaliter calidos, frigidos, temperatos esse perhibuimus, certorum quædam sunt proprietates locorum ac regionum, ubi illa generalia intenduntur remittuntur, uel ob positus sui naturam, uel altitudinem, uel humilitatem, uel propter etiam uicinitatem. Itemq; cum alii equestres sint propter campestria suæ patriæ loca, alii nauigatores ob uicinitatem maris, necnon mitiores aliqui ob soli bonitatem. Ita & certi modi naturas animaduertere in his est, de naturali familiaritate stellarum iuxta duodecim loca signiferi particulariter & ipsa sumpta nõ singulatim sed generaliter. Necesse igitur fuerit hæc quatenus particularibus considerationibus famulantur, nunc deinceps exequi. Cùm ergo in signifero quatuor triquetra configurationes animaduerti soleant, ostensum est in superioribus à nobis unum trian

triangulum, nempe Ar. & Leo & Sag. esse Borrolybicum, quod nomen significat Aquilonis & Africi confusionem. Hoc gubernatur primum quidem à Ioue propter Aquilonem, deinde à socio etiam propter Africum. Triangulum autem Tau. & Cap. & Virg. Austrisolanum est, habetq; principem dominatricem Venerē propter Australitatem, socium uerò Sat. propter matunitatem. At Gem. & Lib. & Aqua. triangulum commistionis Aquilonis & Subsolanii est, cuius dominatio præcipua est Satur. propter matutinitatem, sociumq; admittit Iouem ab Aquilone. Triangulum Canc. & Scorp. & Pisc. Notolybicū, id est, austri est & africi, primumq; regitur à Marte, propter africum, deinde & à socia Ven. propter australitatem. Quæ cum ita se habeant, & cum nostra terra distribuatur in quadrantes æquales numero triangulis quatuor, per latitudinem quidem à mari nostro ex Herculano freto usque ad sinum Issicum & ulterius uersus orientem Montanum usq; dorsum, quibus separatur pars aquilonaris ab australi. Per longitudinem autem ex Arabico sinu per Aegeum pelagus & pontum ac paludes Mæotidas, quibus diuiditur pars orientalis & occidentalis, conficiuntur ita quadrantes numero posituq; congruentes cum triangulis, quorū unus totiusterræ collocatus est secundū aquilonis & africi commistionem dictus Borrolybicus, ad Celticam, habetq; commune nomen Europæ, illiq; oppositus, item unus secundū cōmistionē austri & subsolanii, quem dicunt Notapelioten uentum, ad Aethiopiam orientalem, quæ pars australis magnæ Asiæ recte dici poterit. Tertius est quadrans situs secundum aquilonis & subsolanii commistionem, qui uentus uocatur Borrapeliotes, ubi est totius terræ pars quam nominamus Scythiam, fitq; plane aquilonaris, magnæ Asiæ pars, huicq; oppositus secundum africi & austri, qui uentus uocatur Libonotus, commistionem ad occidentalem Aethiopiam, uocaturque communiter Libyæ. Præterea sciendum singulos quadrantes qua uergunt in medium totius terræ nostræ, sortiri diuersam naturam naturæ suæ quam in totius terræ diuisione obtinuerint. Nam quadrans Europæ quem diximus in diuisione totius terræ in Borrolybico loco, id est, ad Caurum positum. In medio & qua angulus exit in oppositi quadrantis angulum

CL. P T O L. D E I V D I C.

lum ad Notapelioten, id est, Vulturnum tendit, & impostum huius quadrantis deuoluitur. Quod ipsum & de aliis similiter accipi debet. Vnde apparet singulos quadrantes binis triangulis contrariis conciliari, cum alia quidem loca prorsus in se incumbens triangulum sustineant, media autem illa etiam in contrarium incumbant. In hac conciliatione assumendi sunt & gubernatores singulorum triangulorum, atque rursus hi quidem soli aliis in locis, in mediis autem illis & cum his Mercur. stella, quod media hæc quidem & communis sit utriusque conditionis. Quibus ad hunc in modum distributis primi quadrantis Europei superiora loca quæ sita sunt in totius terræ diuisione inter septentrionem & occasum, conciliantur Borrolybico, hoc est, Caureo triangulo, quod est Ar. & Leon. & Sagit. dominos habet conuenientes Iouem & Mart. uespertinos. In hoc totæ gentes hæ nominantur, Britannia, Gallia Bracata, Germania, Bastarnæ, Italia, Gallia togata, Apulia, Sicilia, Tyrrheni, Celtica, Hispania. Atque in his gentibus consequenter hi mores animaduertuntur, ut sint ob principatum trianguli sui & dominatores illius impatientes regni, & amantes libertatis. Armorum bellique studiosissimi, patientes laborum, præstantiæ, mundiciæ, fortitudinis sectatores. Propter uespertinum autem habitum iouis & martis, propterque suum triangulum accidit his ut prioribus partibus uiriles sint, posterioribus effœminati, & mulierum amore non tangantur, cupidi masculæ Veneris, & hac in parte æmulatores, neque hoc apud illos uitio datur ulli, neque molle ducitur, quod hoc ipso animi illorum non perturbentur & quasi laborent, sed retineant nihilo secius usum uirtutis, amicitiae, fidei, curæ rei familiaris, beneficentiæ, Harum ipsarum regionum Britannia Gallia bracata, Germania, Bastarnæ, proprie subsunt Ar. & stellæ Mart. Itaque harum incolæ sunt communiter feroces, peruicaces, truces. At Italia, Apulia, Gallia togata, Sicilia, Leoni subiectæ sunt & Soli, præstantiæ, benignitati, amicitiae student. Tyrrheni uerò & Celtæ Hispanique commendaticum Sagittar. ioui libertatis, simplicitatis, mundiciæ sunt amatores. Reliqua loca huius quidem quadrantis, sed uergentia in medium totius terræ, Thracia, Macedonia, Illyricum, Græcia, Achaia, itemque Cretæ & insulæ

L I B E R I I.

insulæ Cyclades & maritima loca Asiæ minoris ac Cyprus
 decliua de quadrante suo ad Vulturū, adiunguntur etiam
 triangulo hoc Vulturū quo comprehenditur tau. uirg. cap.
 & gubernatricibus stellis uener. ac satur. atq; insuper etiam
 merc. Quapropter horum locorū incolæ magis sunt & cor
 poribus & animis compositi & temperati. Et ipsi sanè præ
 stantiæ cupidi, fortes, regni osiores propter Martem, musi
 cæ autem & studiorum, libertatis cupidi, legū institorumq;
 suorum tenaces, populari imperio gaudentes, latores le
 gum, quæ à loue habent. Certaminum & mundiciæ studiosi
 à Ven. Amicitia, hospitalitatis, iuris, literarum, eloquentiæ
 cultores, à Merc. Idem arcanorum sacrorum & initiorum
 institutores de Ven. uespertino habitu Rursus ex his pecu
 liariter pertinent ad Tau. & Ven. maritima minoris Asiæ lo
 ca, Cyclades insulæ ac Cyprus: ideoq; fermè uoluptatibus,
 mundiciæ corporiq; seruiunt At Græci, Achiui, Cretenses
 subditi Virg. & Merc. ingeniosiores & doctiores & animo
 rum cultores euaserūt. Macedones aut, Thraces, Illyrii cū
 subiiciantur Cap. & Sat. in re quidem paranda non inertes,
 sed à mansuetudine morum & coniunctionibus alieni. Se
 cundi quadrantis quæ pars est australis magnæ Asiæ, loca
 in quibus India, Ariana, Gedrosia, Parthia, Media, Persia,
 Babylon, Mesopotamia, Assyria, spectantia Vulturum
 in totius terræ diuisione, conciliantur & ipsa merito trian
 gulo Notapeliotico, id est, sito inter ortum & meridiē, Ar
 Virg. Cap. Gubernaturq; à Ven. & Sat. de orientali habitu
 Quare & naturas illorum hominū cognoscere est huiusmo
 di dominationi conuenire, nam & Vene. numen adorant,
 uocantq; Isin, & Satur. itemq; Solis, quem Mitram nomi
 nant. Multi etiam horum futura præcinunt, necnon & pu
 dendæ ab his partes consecrantur, quæ efficiuntur ab habi
 tu præpositarum stellarum seminalium. Ipsi natura sunt fla
 grantes concubitus, rei q; Venereæ appetentes. Saltationes
 his & tripudia comptusq; cordi à Venere, delicatusq; uictus
 à Saturno cum mulieribus propalam non in occulto consue
 scunt, propter habitum orientalem, sed masculā Venerem
 odere. Neque pauci ex matribus liberos suscipiunt, & pe
 ctore supplices gestus edunt propter matutinum ortum, &
 congruentiam cordis præstantiæ cum ui Solari. Vestitus fe

F

rè

CL. P T O L I . D E I V D I C .

rè ornatusq; & corporis deliciis effœminati à Venere, animis autem consiliisq; excelsis, fortes, bellicosi, eo quod Satur. cum habitu orientali congruat. Sed peculiariter sunt Iouis, Venerisque magis Parthia, Media, Persia. Qua de re & harum regionum incolæ florido uestitu utuntur, seq; totos illo præter pectora opperiunt, delicatoq; uictui ac mundiciæ dant operam. Virginis & Merc. est Babylon, Mesopotamia Assyria, quibus ideo & eximia Mathematicarum disciplinarum cognitio & obseruatio siderum contigit. Saturno uerò cedit proprie India, Arriana, Gedrosia, habentq; eam ob rem cultores deformes, fœdos, immanes. Media huius quadrantis loca in diuisione totius terræ, Idumæa, Cœlosyria, Iudæa, Phœnice, Chaldæa, Orchinia, Arabia fœlix, recedunt à suo quadrante ad Cancrum, qui ponitur inter septentrionem & occasum, itaq; Borrolybico triangulo concilian- tur, quod est Ariet. Leon. Sagitt. cum dominis Ioue & Marte, quibus communis Merc. adiungitur, unde sunt ad mercaturas faciendas aliis aptiores & callidiores, in formidine cõtemptores, insidiosus, animis seruilibus, omninoq; instabiles pro stellarum præpositarum figuratione. Est Cœlosyria Iudæa, Idumæa, magis Scorp. & Ariet. Martisq; propria, ob eamq; rem incolas habent fere audaces, impios, insidiosos. Phœnices Chaldæi, Orchinii sub Leone & Sole sunt, quod simplices, humanos siderum obseruatores; inq; primis Solis ueneratores reddit. Arabia fœlix subest sagitt. & ioui, unde extitit illa consentanea appellationi feracitas & copia aromatum, & hominum dexteritas & liberalitas uitæ contractuum, negociorum. Sequitur quadrantis tertii septentrionalis pars magnæ Asiæ, cuius superiora loca continent Armeniam, Hircaniam, Mattianem, Bactra, Casperiam, Seticam, Sauromatas, Oxianem, Sogdianen, quæq; alia in diuisione totius terræ spectant Aquilonem, qui est inter Septentrionem & orientem locus. Hæ regiones igitur cõciliantur Aquilonari triangulo Gem. Lib. Aqua. Gubernatores aut Sat. atq; iup. habitu orientali. Harum itaq; incolæ iouis & satur. numina uenerantur, suntq; ditissimi & auro abundantes, uictu mundo & cõsuetudine honesta, sapientes, magi, periti rerum diuinarum, moribus ad liberalitatem & iustitiam compositis, animo magno, fortes, osiores improbitatis

tis

tis, ita naturæ quodam instinctu animantes suorum ut pro
 ipsis ne mortem quidem oppetere dubitent, respectu deco-
 ris ac pietatis. In usu rei Veneriæ moderati & puri, uestitu
 sumptuosi, benigni, animo sublimi, quod ferè Satu. iouisq;
 stella orientali in habitu conficit. Cæterum ex his Hyrcani,
 Armeni, Matiani proprie referuntur ad Gem. & Mer, itaque
 & sunt mobiliiores ac subimprobi. Bactrianae gentes & Ca-
 spia una cū Sericis Lib. parent & Vener. indeq; diuitias con-
 gerunt, Musicæ deliciisq; indulgent. At Sauromatica, Oxi-
 ana, Gogdiana subiiciuntur aqua. & Sat. habentq; homi-
 nes immanes, tetricos, feros. Reliqua huius quadrantis &
 in medium totius terræ decidua loca, Bithynia, Phrygia,
 Colchis, Syria, Commagene, Cappadocia, Lydia, Cilicia
 Pamphylia descendunt à suo quadrante ad Africum, qui est
 inter occasum & meridiem, inciduntq; in Notolybicum tri-
 angulum Canc. Scor. Pis. dominante Mar. & Ven. cūq; his
 Mer. Hinc illæ gentes ferè numen Veneris adorant, multis
 variisq; suæ linguæ uocabulis ut matrem deum celebrantes,
 ipsum Martem Adonin, rursusq; aliter appellant, hisq; di-
 uis cum questibus initia habent constituta. Sunt aut perim-
 probi & animis seruilibus, laboriosi, mali, impliciti expedi-
 tionibus mercenariis, belligerationibus, rapinis, prædatio-
 nibus, ipsi mutuo sese subigantes, & uastationes sibiipsis bel-
 lumq; inferentes: quæ omnia à Mart. & Ven. orientali con-
 cursu proficiscuntur. Quoniam autem in Ven. triangulari si-
 gno Cap. altitudinem habet Mart. & in huius item triangu-
 lari signo Pisc. ipsa Venus extollitur, fit ut illis in locis sum-
 ma beneuolentia & charitate maritos suos sceminae comple-
 ctantur, domiq; custodes sint & operum studiosæ, famulati-
 one, sedulitate, obedientiam commendabiles. Ex his Phry-
 gies, Bithyni, Colchi pertinent magis ad Can. & Lun. Quo
 fit uiri ut ferè leues sint, morigeriq; mulieribus. Contra harū
 pleræq; de Lun. orientali masculinitate, uiriles, imperiosæ,
 bellatrices, ut Amazones perhibentur, fugientes uirorum,
 gaudentes armis, ad uirilitatemque scemininum sexum in-
 struentes ab infantia, dextræ mammæ amputatione, quo ha-
 biliiores ad subeunda belli munia fiant. Has etiam partes cor-
 poris nudare solent, ut in rebus gerendis muliebritatis om-
 nis opinio amoueat. Qui uerò Syriam tenent & Com-

magenem, & Cappadociam subduntur scorp. & mart. itaq; multū audent, improbi sunt, insidiosus, laboriosus. At Lydi, Cilices, Pamphylii cedunt pisc. & io. suntq; in re paranda attentiores, commercia & mercaturas faciunt, liberales, faciles in contractibus. Restat quadrans Libyes, ut appellāt, in quo sunt Numidia, Carthago, Africa, Phyzania, Nasomontis, Garamantes, Mauri, Getulia, Metagonitis. Huius situs in diuisione totius terræ est ad Libonotum, id est, Africum inter occasum & meridiem, conciliaturq; Notolibyco triangulo can. scorp. pisc. regiturq; conuenienter à mar. & uen. habitu uespertino. Ex quo apud illas gentes usu multū uenit ut uir ac mulier, aut frater ac soror una matre geniti regnum teneant, sic quidem ut uir uiris, mulier mulieribus præsit, & hoc in successione feruetur. Calidi ibi sunt homines, procliuēs in muliebrem Venerem, raptores coniugum. Ibi multis in locis cū nouis nuptis primi sunt regum concubitus. Alicubi etiam est mulierū inter omnes communitas. Mangonissantur aut admodum & muliebres mundos gestitant, quod à Venere habent. Non deest tamen animorū illis promptitudo. Sunt nō nihil improbi, præstigiatores, perversi, temerarii, obuii discriminibus, idq; à mart. Rursum ex his Numidæ, Carthaginenses, Afri debentur can. & lun. & hac de causa à coniunctionibus cōmerciisq; non alieni sunt, inq; omnium rerum affluentia degunt. Sed qui incolunt Metagonitida, Mauritaniā, Getuliam, Scorpio obediūt & Marti, immanes, bellicosi, carniuori, discriminibus obuii, neglectores uitæ, inq; sese mutuo inuadentes. Phizani, Nasamones, Garamantes subiecti pisc. & io. liberalibus sunt & simplicibus moribus, opus faciunt, consiliis ualent, fardium regniq; fugientes, propter Iouem, Ammonis ueneratores. Huius quadrantis media loca in totius terræ diuisione Cyrenica, Aegyptus, Thebais, Marmarica, Oasis, Troglodytæ, Arabes, Asania, Aethiopia media, à suo quadrante uersa ad Aquilonem subeunt & sub Borrapelioticū etiam triangulum & dominos sat. aciou. insuperq; merc. Vnde gentes hæ pro communi stellarum istarum uespertino imperio Deorum sunt reuerētes, superstitiosi, seruiētes Diis, eiulatores, mortuos suos occultantes terra & amouentes è conspectu, propter uespertinum habitum, institutis & ritibus uariis, neq;

uno

uno cultus numinum genere utuntur. Parent humiliter, cum que metu & abiectioe ac patientia. Imperant animose & magnifice. Viri plures uxores, fœminæ maritos habent. Connubia appetunt, cumq; sororibus commiscentur. Virorum in gignendo magna efficacia, in cõcipiendo mulierum fœcunditas, ut in regione accommodata generationi. Multi ibi uiri putidi & animis muliebribus reperiuntur. Aliqui & in partes genitales grassantur, propter maleficarum ac Veneris uespertinam figurationem. Ex his Cyrenarum Marmaricæ inq; primis inferioris Aegypti incolæ ascribuntur proprie gemi. & merc. ideoq; sunt cogitantes, prudentes, intelligentes rerum omnium, sed maxime sapientiæ & diuinitatis, magi, arcanorum initiorum institutores, in Mathematicis planè excellentes. Qui Thebaida tenent Oasin, Troglodytice lib. sunt ac uen. Vnde calida natura est illorum & mobilis, & in abundantia degunt. Arabes, Azani, Medii, Aethiopes dantur aquar. & Sat. Suntq; carniuori ac pisciuori & pastores. Agrestem & feris similem agunt uitam. Ac conciliationes quidem stellarum signorumq; cum certis gentibus communesq; harum proprietates designatæ à nobis breuiter ad hunc modum sese habent. Ad usus autem facilitatem exponemus deinceps nudam traditionem conciliationis singularum gentium cum unoquoque signo ex superioribus conuenienter ductam, Hoc modo.

NVDA EXPOSITIO QVAE GEN
tes quibus sub signis ponantur.

Aries, habet Britanniam, Galliam Bracatam, Germaniam Bastarnas, Cœlosyriam, Palestinam, Idumæam, Iudæam.

Tau. Parthiam, Mediam, Persida, Cyclades insulas, insulam Ciprum, maritima loca Asiæ minoris.

Gem. Hircaniam, Armeniam, Mattianen, Cyrenas, Marmaricam, inferiorem Aegyptum.

Canc. Numidas, Carthaginenses, Afros, Bithyniã, Phrygiam Colchida.

Leo Italianam, Galliam Togatam, Siciliam, Apuliam, Phœnicen, Chaldæos, Ochiniam.

Virgo, Mesopotamiam, Babylona, Assyriam, Græciam, Achaïam, Cretam.

Libra

CLIP TOL. DE IVDIC.

Libra, Baetra, Casperiam, Seras, Thebaida, Oasin, Troglodytas.

Scorp. Meragonitida, Mauros, Getulos, Syriam, Comagenem, Cappadocas.

Sag. Tyrrenos, Celtas, Hispaniam, Arabiam felicem. Capr. Indiam, Arrianen, Gedrosiam, Thraciam, Macedonas, Illyricum.

Aquar. Sauromatas, Oxianen, Sogdianen, Arabiam, Azaniam, media Aethiopiae.

Pisc. Phazaia, Nazamonitis, Garamantice, Lydia, Cilicia, Pamphylia.

PARTICVLARIVM PRAEDICTIO- num ratio.



Is expositis cōuenit & hæc adiungi huic parti. Fixarum etiam stellarum singulis aliquo in signo repertis, conciliari easdem regiones quas illud signum sortitum fuerit, quo cum ipse inducto per polum suum circulo, regiones eas aspiciant. Præterea ea loca signiferi potissimum considerata de magnis urbibus quæ metropolis dicuntur, per quæ in harum extructionum principiis, ut in genitura hominis, ferri, solem ac lunam animaduersum ubiq; ex cardinibus præcipue horoscopus fuit. Quarum autem tempora extructionum non competiuntur, uidendum quo cadat m. c. in genitura principum ac regum, quæ quoq; tempore rerum potientur. His præcognitis consequens fuerit percurrere rationem prædictionum, primumq; illas quæ totas regiones urbesue complectuntur, cuius contemplationis modus erit talis. Non est prior neq; potentior causa huiusmodi casuum, quam quæ ducitur à defectiuis Solis & Lunæ copulationibus, & transitibus stellarum illarum tempore. Sed prædictionum huius partis, una est localis, quæ continet præscientiam regionum ac urbium, quibus intenditur significatio particulariter defectuum luminarium, aut concurrentes stellarum menstruationes, quæ sunt sat. iup. mars, cum stationarii fiunt. Altera est temporalis, qua comprehenditur & significationum tempus & durationis magnitudo. Tertia generalis, in qua inest cognitio, quibus quicque
rerum

rerum generibus aduenturum sit. Quarta & ultima specialis, qua definitur singulatim modus uenturorum.

DE REGIONIBVS QVARVM

sint significationes.



Rimam igitur quam diximus localem ita explicabimus. In copulationibus enim defectiuis solis & lunæ, præsertim euidentiibus, considerabimus defectiuū signiferi locū, itemq; conciliationes cum signis regionum per triangula. Item quid habeat consensum cum loco defectiuo signiferi, siue in urbiū primis extructionibus, siue ab horosco po siue ab illis locis quæ tū lumina occuparunt, seu m.c. eorū qui iam rerum summæ præsent. Quibus conciliationibus re pertis decernemus euentus omnino ad illas quarum fuerint regiones pertinere, inq; primis si cum signo defectiuo coniungantur, & si ipsis deliquium supra terram existens appa- ruerit.

DE TEMPORE EVENTVVM.



Ed temporalis tractatus qui complectitur si- gnificationū tempus & durationem talis est. Cum enim quæ deliquia eodem tempore ac cidunt, non soleant apud omnes ubiq; habi- tantes eisdem horis inæqualibus consumma- ri, nolo autem & solis & lunæ deliquia intelligi, neq; etiam obscurationem nec durationem pariter intendi, primum in unaquaq; regione cuius situs ratione cōprehensus est, ad ho- ram deliquii, poli altitudinem & cardines tanq̄ in hominis genitura exprimentur, deinde exquiretur quot horarum æ- quinoctialium in unaquaq; comprehensa ratione regione duratio sit obscurationis. His enim cōstitutis, quotquot ho- ras æquinoctiales inuenerimus, tot in solari quidem deli- quio annos, lunari uerò menses duraturos effectus pronun- tiabimus. Cæterum exordia ipsa & uehementiores progres- siones cognoscentur ex loci defectiui habitu erga cardines. Nam cū locus ille inciderit in orientalem finitorem, signifi- cat euentuū exordia circa primos quatuor sequentes statim deliquiis

CL. P T O L. D E I V D I C.

deliqui tempus menses futura esse, uehementiores autem progressus in primo triente totius durationis effectionalis. Sed si inciderit idem locus in m c. exordia erunt proxime sequentium mensium & trientis medii totius durationis. In occidentali autem cardine significantur exordia ultimorum quatuor mensium & ultimi trientis totius durationis futura esse. Verum particularium remissionum intensioumq; iudicia fient de intercedentibus toto tempore luminaribus copulationibus, cum in locos autores effectionis, aut illis configuratos inciderint, deq; aliis una ex orientibus stellis effectionis designatricibus, cum aut in emersionibus aut occultationibus, aut stationariæ, aut noctu emicantes, configuratæ cum autoribus effectionum locis fuerint. Emergentes autem uel stationariæ intendunt euentus, dum uerò occultatum se eunt aut splendore solis obruuntur, noctuue emicantes, & de euentibus remitti aliquid solet.

DE GENERE EVENTVVM.



Inertio loco propositū fuit cognoscere in quæ genera rerum euentus essent exituri. Hoc ipsum deprehendetur & de natura signorum & de forma in quas loci deliquiorum inciderint, horumq; locorum dominatrices stellæ, cum uagantium tum fixarū hæc & de ipsius deliqui & de cardinali signo deliqui sunt intelligenda. Dominatio autem stellarum errantium ita colligitur. Quæcūq; enim pluribus modis utriq; loco, id est, deliqui ipsius & hoc sequentis cardinis adiungi cernetur, ea sola dominationem occupabit. In hoc aut considerantur proximæ & apparentes accessus & deflexiones, & ratione cōprehensæ figuratio nes, itemq; domiciliorū triangulorumq; potestas, una cum altitudine & terminis. Sin una eademq; stella dominiū utriusq; loci, id est, defectiui & cardinalis sortita nō fuerit, præferetur quidem defectiui loci dominus, sed assumetur etiam ille qui præ cæteris utriq; loco pluribus modis de præscriptis adiūgi uidebitur. Sed multis dominationē sibi uendicantibus propter æqualitatem respectus ad utrunq; locum, præponetur reliquis uel cardinalior, uel potētior, uel qui magis condi-

conditionis sectæq; fuerit. Stellarum autem inerrantium assumetur ea quæ loco defectiuo quasi assederit in prætereunte cardine, primum splendore secundum nouem modos demonstratos in primæ compositionis nostræ libris. Deinde uel cum cardine orientis uel m. c. sequente locum defectiuum reperta. Atq; ita animaduersa in stellis autoritate effectuum contemplabimur & formas signorū, in quibus & deliquium ipsum & huius dominatrices stellæ repertæ fuerint, à quorum proprietatibus modi generalium euentuum communiter ducuntur. Nam quibus signis forma humana tribuitur, siue in signifero, id est, ecliptica intelligantur, siue per reliquos inerrantes appareant, significant euasuros euentus in genus humanum. Aliorum terrestrium formæ quadrupes, assimilibus brutis, serpentes, anguibus & huiusmodi, rursus feræ, immansuetis & noxiis humano generi, mites, utilibus, domitis, operamq; & adiumentum commoditatibus uitæ nostræ afferentibus pro cuiusque formæ descriptione, ut equi, bouis, pecudis, uentura portendunt. Præterea septentrionales formæ terrenæ, terræ subitos motus, meridionales nimborum fluxus afferunt. Iam cum loci illi autoritatis fuerint in figuris pennigeris, ut uirg. sagittæ, Galinæ, in aues & uolatica, inq; primis ea, quæ uictui apta sunt similiter cū natantibus, in aquatica & pisces euentus cadūt. Quæ figuræ si fuerint marinæ, ut can. capr. delphis, marinis piscibus classibusq; insuper & nauigationibus: sin fluuiatiles, ut aquar. pisc. fluuiaticis & fontanis uentura decernunt. Argo aut utrunq; genus complectitur. Ad hæc repertæ autoritatis stellæ in signis tropicis ac æquinoctialibus cōmuniter aeris & temporis sui statum significant: proprie aut uernum tempus & ea quæ è terra nascuntur. Si enim reperiantur in æquinoctio uerno, iudicio sunt pululationum arborum fructiferarum, ut uitis, ficus, fructuumq; maturitatis. In solstitio perceptionum frugum & conditionum, peculiari-ter autem in Aegypto & Nili exundationis. In æquinoctio uerno, sationum & pabulariorum & huiusmodi. In bruma olerum & auium ac piscium illius temporis. Sed æquinoctia alia etiam significationem dant sacrorum & diuinæ culturæ Tropica mutationum aeris & in rebus publicis morum ac legum. De solidis iudicium fiet foundationum & substructionum

CL. P T O L. D E I V D I C.

num. De bicorporibus hominum ipsorumque regum. Quæ uerò tempore deliqui orientali magis positu fuerint, fructibus, adolescentiæ fundamentis euentura, sed à m. c. templis, regibus, ætati uirili. Occidentalia autem legum institutorumque mutationes & senectæ casus, & uita functos significant. Cæterum quatenus in deprehensum genus affectiones progressuræ sint, ostendet magnitudo obscuritatis deliquorum & erga defectiuum locum stellarum autoritatem fortitarum habitudines. Nã uespertini erga solaria deliquia. Matutini uerò erga lunaria, minora omnia reddunt. In oppositionibus autem dimidium demunt. Sed matutini erga solaria, Vespertini erga lunaria deliquia, augent.

DE MODIS FUTURORVM.



Varto loco proposita fuit à nobis exquisitio modorum præcogniti euentus, hoc est, in bonum ne an malum illi euasuri, & quales per utrunque in sua specie futuri essent. Hoc ipsum declarat naturalis efficientia stellarum dominantium in autoritatum locis, & cum ipsarum secum tum etiam cum iis locis in quibus ipse fuerint commistio. Nam Sol & Luna ut principes omnium imperium & edictionem penes se habent, autores effectuum & dominationis ius stellis committentes, ipsarumque stellarum aut uires augent aut imminuunt. At quibus stellis potestas contigit commistionis earum consideratio demonstrat euentuum modos. Incipiemus aut nunc deinceps singulatim Errantium stellarum proprietates explicare, ubi hoc prius monuerimus lectores huius breuis institutionis nostræ, quod in generali hac mentione quinque errantium stellarum commistionis & efficientiæ, similis natura intelligenda sit, siue illa ipsa huius constitutionis suæ locum teneat, siue alia inerrantium, aut signiferi etiam aliquis locus, perinde ac si naturæ hæc & proprietatis ipsarum, non stellarum essent appellationes. Itemque quòd in mistionibus non solum ipsarum inter se errantium coitus, sed etiam inter has & alias similis naturæ siue inerrantes, siue loca signiferi, necnon quid cum his errantibus familiaritatis intercedat, inspicere oporteat.

Saturn, ubi solus dominationem fuerit sortitus, corrupit

pit generaliter frigore. Peculiares autem sunt huius cùm in homines ille corruptio cadit, morbi diuturni, tabes, marcores, humores, molestiæ & fluxiones, febres quartanæ. Tum exilia, inopia, angustiæ, luctus, terrores, mortes potissimū ætate prouectorum. Bruta ferè apta hominum usui comminuit, rebus ipsis morbifera mala infert, ut illis uescentes similia in mala deuenientes intereant. In aere excitat frigus horrendum, glaciosum, nebulosum, pestilens. Tempestates aduersas, densas nubes, caligines. Item niuis magnam uim non oportune, sed contrarie, unde serpentū noxia hominibus multitudo concreta existere consueuit. In fluuiis ac mari communiter, hyemes, naufragia, difficiles cursus, piscium penuriam & interitus, peculiariter autem uorticosos in mari fluctus, & fluuiorum exundationes, & aquarum deprauationes. Terra uerò frugum caritatem, penuriam, uastitatem, potissimum earum quæ necessaria sunt ad uictum, immittit, per erucas, locustas, aquarum inundationes, nimborum impetus, grandinem, aut alia huiusmodi, quæ usq; eo procedunt, ut fame similique pernicie homines extinguant.

Iup. solus nactus dominium, generaliter incrementa rebus confert. Sed peculiariter cùm euentus in humanum genus exeunt, largitur gloriam, amicitias, tranquillitatem, pacem, rem familiarem auget, corpus animumque componit, conficit dona & beneficia à regnatoribus, hosque ipsos auget ac ornat, facit magnis animis, inq; summa, felicitatis uniuersæ est autor. Animantum reliquarum utilium ad uitam degendam copiam & abundantiam, contrarium exitium & interitū procurat. Tempestates reddit salubres uentis & imbribus altrices terrestrium, fortunat classibus cursus, fluuiorum aquas moderatas conseruat, frugum copiam & his similia efficit.

Mars ubi solus arripuit dominationem, generaliter corrumpit feruore, sed peculiariter in humanum genus sæuit bellis, seditionibus intestinis, carcere, populationibus, tumultibus plebeis, iracundiis principum, & ab his inopinatas mortes infert. Huius sunt æstuentes febres, tertianæ, sanguinis eruptiones, morbi acuti, uiolentæ mortes, in primis ætatis ualidæ. Item uis, contumelia, iniuriæ, incendia


dia, homicidia, rapinæ, latrocinia. In aere commouet calidos uentos, pestilentes, tabificos, fulminum iaculationes & flammæ, squalorem. In mari subitas nauium subuersiones per uentos turbulentos, fulminæue, aut alia huiusmodi. Fluuiorum aquas exorbet, deficcatur fontes, deprauat latices Quæ necessariae sunt ad usum uitæ humanæ animantes eiq; terra nascentia pessundat, uel pernicioso hæc æstu nondum percepta uastans, uel condita conflagrationibus.

Ven. sola domina uentorum generaliter ea efficit, quæ Iup. cum uenustate quadam, peculiariter autem hominibus conciliat famam, honores, gaudia, frugiferos annos. Dat fortunata conuubia, copiam liberum, & gratiam in conjunctionibus, incrementa bonorum, uictum mundum, honestatem, reuerentiam, uenerationem. Insuper & corporis decorem, & necessitudines gratas potentiorum ac principum. Aera uentis replet temperatis, humidis, fecundissimis, comoda tempestate, serenitate, demittitq; imbrium tempestiuas pluuias. Nauibus felices cursus & successus lucrosos tribuit. Fluminum alueos complet. Animantum utilitati seruentium & frugum in primis copiam abundantiam commoditates confert.

Merc. adeptus dominationem, generaliter quidem in illius stellæ naturam se insinuat, cum qua fuerit configuratus, est autem omnium maxime impetuofus. Et in iis quæ humana sunt, acer, efficax, accommodabilis offerentibus se rebus. Usurpator latrociniorum, furtorum, pyratice inuasionis, contrariorum uentorum suscitator, in configurationibus cum maleficis. Autor morborum siccitatis, febrium cotidianarum, tussis, anhelationis, tabis. Habet & sacerdotalem rationem & cultus diuinos, & regios reditus. Habet & mutationes suis temporibus legum ac morum, quæ omnia congruunt cum illius ac reliquarum stellarum singularum commistione. In primis uentos turbulentos, uehementes, instabiles, siccitatem aeris & mobilitates commouet, cum de uicinitate solis, tum celeritate cursus sui. Itaque & tonitrua flammantiaq; fulmina immittit, dissipatq; ac concutit terram, fulgura ciet. Vnde & interdum perniciosus est aptis usibus uitæ, animantibus & frugibus, flumina occidens siccat, explet oriens.

Vbi igitur peculiari in natura reperta stella fuerit effectio-
nes quoque illam ipsam consequuntur similes. Sed cum in-
ter se permiscentur cum configurationibus ipsis, tum per-
mutatione signorum & à sole apparitionibus, consentanea
etiam in effectioibus temperatio, & mistæ uariæq; proprie-
tates decretorum existunt. Quia uerò infinitum, hoc est,
neque fieri potest ut uniuscuiusque temperaturæ peculiare
decretum doctrina comprehendat, omnesq; simpliciter ali-
quis cuiuscunque modi configurationes tam multiplicis præ-
sertim rationis, exequatur, relinquendum merito est hæc
pars Mathematici in singularum rerum iudiciis gnauitati ac
industriæ. Sed hoc diligenter obseruabimus, quis sit stella-
rum principum decreti respectus, & regionum ipsarum ac
urbium in quibus significationes cadent. Cum enim sunt il-
læ beneficæ & conciliatæ locis obnoxiiis, neque superantur
ab aliis diuersæ sectæ, multo magis absoluunt naturæ suæ
bonitatem, sicut & alienæ aut superatæ ab aduersariis mi-
nus profunt. Quòd si noxiæ hunc principatum cœperint,
conciliatæ cum obnoxiiis locis, aut superatæ à stellis aduer-
sariæ sectæ, minus nocent. Quæ cum neque dominatrices
regionum erunt, neq; superabuntur ab aliis quæ illarum com-
mendationem acceperunt, tum uehementiorem suæ constitu-
tionis pestem infligent. In genere autem uniuersalibus à ma-
lis potissimum corripuntur ii, quorum in genituris præci-
pua loca, nempe luminum aut cardinum eadem fuerint cum
illis à quibus uniuersalium casuum causæ ueniunt, id est, e-
clipticis ipsis aut his oppositis. Sed in primis periculosa ac
ineuitabiles sunt partiles occupationes, dimetientesq; deli-
quiorum utriusuis ille luminum respectum habuerint.

DE CALORIBVS IN DELIQVIIS
& crinitis, ac huiusmodi aliis.

bseruandæ etiam sunt in uniuersalibus considera-
tionibus colores in deliquiis, non modo ipsorum
luminum, uerum aliorum quoque quæ iuxta illa
solent colligi, ut uirgularum ac arearum, & quæ alia sunt
huiusmodi. Nam si nigra siue liuida esse uideantur, signifi-
cant ea quæ de Sat. natura exposuimus. Candidus color Io
uialis

uialis est. Rutilus Martius. Flauus Veneris. Varius Mercuri. Quòd si coloris proprietas per tota luminum corpora, aut etiam loca se diffuderit, plurimis regionis partibus futura decernit, sin quacunque à parte apparuerit illis partibus in quas se proprietas illa inclinabit. Obseruandæ & crinitæ seu in deliquiis, siue alio quolibet tempore fulserint, in considerationibus uniuersalibus, quales sunt quæ dicuntur trabes, tubæ, dolia ac huiusmodi. Est enim harum naturæ effectio Martiæ ac Mercurialis proprietatis, bellorum, æstus, turbulentia, & eorum quæ ista sequi consueuere. Cæterum loca in quibus hæc euentura sint designantur, cum à signiferi partibus in quibus collectæ illæ stellæ fuerint, tum de criniti figuratiōis inclinatiōe. Per ipsam quidem collectionis quasi faciem & formam, futurorum species & genus cui effectio expectanda sit, deprehendetur. Verum de tempore durationis, intensiōe euentuum. De habitudine autem erga solem initium patescit. Nam cum fuerint matutinæ diuq; fulserint, celeritatis, sin uespertinæ, tarditatis, significatio futura est.

DE NOVILVNIO ANNI.

DEmonstrata iam ratione uniuersalis considerationis regionum ac urbium, sequitur quædam subtilior exquisitio, eorum inquam quæ singulis anni temporibus euentura sint, cuius tractatio quandam desiderat de Nouilunio, ut uocatur, anni disputationem. Quòd igitur illud principium capi oporteat à reuersione Solis in omni ambitu illius, ac eum locum unde abierat, ipsa res docet cum effectiōe ipsa, tum etiam nomine. Quale autem principium in circulo constitui simpliciter possit, omnem etiam cogitationem fugere uidetur. In illo tamen circulo qui describitur per media signa, probabilia sola principia sumpserimus, eorum punctorum quæ æquinoctialis & coluri signant, hoc est, bina æquinoctialia & bina tropica. Sed rursus & hic dubitatio alicui forte oriatur, quo nam ex his quatuor ut principe recte utatur. Atq; est de simplici quidem & circulari natura horum nullum ut unius principii præcipuum. Scriptores tamen harum rerum uno quopiam usi sunt alio sanè alius cui quisque principium pro ratione & sensu naturæ suæ ascriberet

ret

ret. Etenim singula hæc membra eximium quoq; quiddam habent cur principium & nouum annum sibi iure uendicare uideantur. Nam æquinoctii uerni proprium, ut tum longiores dies noctibus fiant, humiditatisq; hoc est, tempus. Humiditatis autem natura potissimum ut ante quoq; diximus, in exordiis genituræ regnat. Solstitium longissimum diem ædit, & Aegyptiis inundationem Nili, ac ortum Canculæ significat. In autumnali æquinoctio cadit tempus condendarum frugum, & quasi de nouo principio aliarum semina terræ mandantur. Bruma diem incipit diminutum producere. Sed conuenientius mihi ac naturalius uidetur, ad annuas inspectiones quatuor principia constituere, obseruatis & præcedentibus coniunctionibus Solis & Lunæ cum interlunium plenilunii, atq; in primis defectiuis. Atq; ita de arietis principio iudicium facere de statu ueris. De æstate à Canc. De autumno à Libra. De hyeme à Capr. Nam ipse quidem Sol uniuersales temporum cõstitutiones & modos facit, unde & penitus imperiti Mathematicum futura prænoscent. Sed & proprietates signorum ad significationem uentorum & generalium naturarum assumendæ. Temporalium autem mutationum incrementa & diminutiones indicabunt uniuersaliter quidem uicinæ prædictis punctis coniunctiones, & erga has stellarum errantium configurationes, particulariter uerò in unoquoq; signo interlunia & plenilunia, itemq; stellarum transitus, quam menstruam inspectionem nominare liceat.

DE PARTICVLARI NATVRA

signorum in tempestatibus.



D hæc teneri debet particulariter proprietates naturales signorum ad annuas constitutiones, necnon singularum stellarum, quas nos supra exposuimus, accommodatis errantibus & similis modi inerrantibus ad aeris & uentorum, tum temporum anni familiaritates. Restat nunc particulares quoq; signorum naturas exponere.

Arietis igitur signum generaliter est propter significationem æquinoctialem tonitruosum, & gradinosum. Particulariter uerò

uerò hæc & intenduntur & remittuntur de proprietate iner-
rantium stellarum quibus describitur. Priores illius partes
imbres & uentos cient, mediæ temperatæ, extremæ æstuo-
sæ & pestilentes sunt. Septentrionale spacium æstuās & no-
xium, australe glaciosum & frigidiusculum.

Tauri signum præ se fert generaliter utrunque modum &
est subcalidum. Sed particulariter priora ubiq; uergiliæ ui-
suntur, turbulenta, uentosa, & nebulosa habet. Media hu-
mectantia & frigida. Sequentia ubiq; succulæ conspiciun-
tur, ignea fulminum ac fulgurum efficientia. Septentriona-
lia temperata. Australia instabilia ac incerta.

Signum gemini, uniuersaliter est temperationis efficiens,
particulariter uerò primoribus in partibus humidum ac no-
xium. Mediis temperatum. Posterioribus mistum ac incer-
tum. Septentrionalibus uentos ciet & terras concutit. Au-
stralibus aridum & æstuosum.

Signum Cancri generaliter serenitatis & æstatis effectio-
nem fortitum est, sed particulariter in principio sui & iuxta
præsepe suffocat & terras quatit, caliginemq; offundit. Me-
dium temperatum, in fine uentosum. Tam septentrionali,
quàm australi in spacio igneum, noxium, æstuosum.

Leonis signum, in uniuersum æstuat ac suffocat, particu-
lariter uerò habet principii suffocans ac pestilens. Medium
temperatum. Finem siccum & noxium. A septentrione in-
stabile est & igneum, ab austro humidum.

Virginis signum in uniuersum humidum est ac tonitruo-
sum, sed particulariter iucipiens calidiusculum ac noxium.
In medio temperatum, desinens aquosum, Septentrionale
uentosum, Australe temperatum.

Chelæ signum sunt generaliter uarium ac mutabile, ue-
rum particulariter primis in partibus ac mediis temperatum
Ultimis aquosum. Septentrionem uersus uentosum. Ad au-
strum siccum ac pestilens.

Signū Virginis, uniuersaliter est tonitruosum ac igneum
sed particulariter priores partes ningūt. Mediæ temperatæ
sunt, posteriores turbulentæ, septentrionales æstuant, au-
strales humectant.

Signum Sagitt. in genere uetosum, particulariter in prin-
cipio sui humidum, medio temperatum, calce igneum est.

Ad

Ad septentrionem uergens, uentosum, ad austrum humidum & uariabile.

Signum Capri. generaliter humidum est in prioribus partibus æstuans & noxium, mediis temperatum, posterioribus pluuiosum, tam septentrionalibus quam australibus humidum ac noxium.

Aquarii signum in genere est frigidum & aquosum, sed particulariter prima habet humida, media temperata, extrema uentosa, septentrionalia æstuantia, australia niuosa.

Signum Pisc. uniuersaliter frigidum est & uentosum, partes autem priores quidem temperatas, medias uerò humiditas, posteriores æstuentes. Septentrionalis situs uentosus, australis aquosus est.

DE PARTICVLARI TEMPE

statum consideratione.



Is igitur expositis sequitur percursorio particularium significationum, quæ talis sit. Una est ratio generalis respectu quadrantum signiferi, qua, ut diximus, obseruanda sunt proximæ antecessoria æquinoctiales ac tropicas significationes, interlunia ac plenilunia, horumque utrorumlibet in unoquoque proposito climate cardines tanquam genituræ tempore constituendi, tum cognoscendæ dominatrices stellæ cum interluniorum tum pleniluniorum loci, & sequentium hunc cardinum sicut supra in deliquiorum doctrina exposuimus, atque ita uniuersalia de proprietate quadrantum exquirere, sed intentiones ac remissiones de dominantium stellarum natura, cuiusque modi ac constitutionis effectione ille habeant, perdiscere oportet. Altera ratio est menstrua, qua consideranda sunt in singulis similiter signis interlunia & plenilunia hoc solo obseruato, si interlunium forte antecesserit proxime punctum tropicum aut æquinoctiale, ut interluniis illo toto quadrante utamur, si plenilunium, ut pleniluniis. Considerandi & cardines & utriusque loci dominatrices stellæ, inque primis applicationes deflexionesque errantium stellarum earundemque proprietates, nec non & locorum, quosque uentos quaque stella ac quaque signorum partes in quibus illæ fuerint, commoueat. Præterea in qua uentum latitudine sua inclinet Lunæ in ob-

H liquitate

liquitate eclipticæ, de quibus omnibus uotatis potioribus, mensuram generales status ac uentos præcognoscere poterimus. Tertia ratio est subtilioris cuiusdam obseruationis intensiõnum ac remissionum. In hanc cadunt configurationes Solis ac Lunæ particulares, non solum interlunij & plenilunij, sed etiam horum mediæ, id est, quadratæ. Vbi animaduertendũ antè tres ferè dies omnium tempestatum significationes existere solere, aut etiam post tres nonnunquam, ex equati itineris Lunaris erga Sol. Cadunt & singulorũ istorum status, neq; istorum modo, sed etiam aliarũ figurarũ ut sexangulæ ac triquetræ, itemq; aspectus stellarũ errantium, nam de harum natura consequenter mutationis proprietates deprehenditur, respondens aspicientium stellarum & signorum erga circundans nos cœlum ac uentos, familiaritati.

Verum horum ipsorum particularium modorum diurnæ intensiões remissiones uel existunt potissimũ, ubi inerrantium stellarum eæ quæ maxime illustres sunt, matutinis aut uespertinis ortusq; aut occasus sui fulgoribus erga solem conspicuæ fuerint, nam conuertunt particularem statum illarũ plerunq; ad modum naturarum suarum. Idem iudicandum usu uenire, ubi lumina iter per cardines fecerint. Talem enim ad habitum illorum horariæ remissiones ac intensiões tempestatum sese conuertunt, sicut secundum Lunæ æstus maris ac redundationes, itemq; mutationes uentorum præcipuè per tales cardinationes fulgorum tales consueuere esse ad quales ipsa se Lun. latitudine sua inclinauerit. Vbiq; autem hoc tenendum est, priorem ac posteriorem, generalem & Primariæ subiectionis causam sequi uerò eam quæ sit particularium accidentium, sed tum efficaciam firmam in primis ac ualidam esse, cum generalis naturæ dominatrices stellæ illis quarum fuerit particularis curatio, aspectu ac configuratione sese coniunxerint.

DE OBSERVANDIS METEORIS, id est, facie cœli.



si fuerit & imparicularium significationum præuisionibus notasse iuxta Sol. Lun. ac stellas apparentia uisa. Ac Sol. quidem intuebimur oriẽtem in iudicio tempestatum diurnæ nocturnæ uerò occidentem. Sed diuturnioris, configuratione-

gurationem cum Lunæ illius, nam singulæ figuræ tempestatem qualis usq; ad proximam futura sit declarare consueverunt. Si igitur pura luce & expers caliginis, uarietatis, nubium Sol orietur aut occidet, serenam tempestatem pollicetur, in uarietate autem orbis, cumq; hic flammens, rubentesue eiaculari radios uidebitur, siue illi directi, seu refracti appareant, itemq; cum illas Solares nubes quæ parilia dicuntur una à parte informarit, nubiumq; figuras subrubras, radios in longum tendentes circum sese habuerit, uehementestum flatus significantur, pro iis angulis quos respexerint uisa illa. Niger aut luridus, in ortu occasuue, si nubibus quoque inuoluetur aut area una à parte cingetur, aut Solares illæ nubes utrinq; aderunt nec non radii subpallidi aut nigri, minatur hyemes atq; imbres. Lunam obseruabimus in itinere suo dierum trium ante uel post interlunia ac plenilunia, & medium tempus quo erga Solem quadratur. Nam tenui puraq; luce nitens siq; nihil illã circundet, serenitatem spondet. Sin tenui rubeat luce, siq; totus perspicuus sit orbis illius etiam qua parte non illustratur, & tremere uideatur, uentos maxime declinationis suæ ciet. Nigra pallida, spissa hyemes ac imbres minatur. Non negligetur animaduersio quoque arearum quæ Lunam interdum cingunt. Nam si una fuerit pura paulatimq; euanescat serenitatem, sin duæ aut tres, hyemes significant, atq; has cum uentorum turbulentia subrubræ quasiq; perruptæ cum niue, caliginosæ ac spissæ, luridæ ac nigrae & laceræ, tam cum his quàm cum illis, eoquæ etiam uehementiores significant illas, quo ipse maiores fuerint. Errantibus ac inerrantium splendidis circumfusæ areæ de proprietate coloris sui portendunt ea quæ naturæ ferunt stellarum. Inerrantium etiam quasi turbulas aspiciemus quo ille colore quaque magnitudine uideantur. Nam si splendidiore grandioresq; solito appareant, quacunque in plaga cœli luxerint, ab illa uentos concitabuntur. Quin etiam nebulosi giri qui dicuntur, ut in præsepi & alibi proprie si sereno cœlo aut exiles sint, uisumq; fugiant, aut perdensæ esse uideantur, nimbos, puri uerò ac uibrati, turbulentiam uentorum portendunt. Iam si stellarum earum quæ utrinque ad præsepe cernuntur asinorum appellatione, una quæ

CL. P T O L. D E I V D I C.

septentrionalis sit non appareat, flabit Aquilo, si uerò altera Australis non appareat, flabit Auster. Præterea quæ certis temporibus in cœlo se ostendunt & ostenta dicuntur, eorum crinita sidera semper squalorem uentosq; prænuntiant, eo quidem uehementiores, quo pluribus in partibus & ipsorum corpora grandiora fuerint. Discursiones & iaculationes stellarum si ab uno angulo prorumpant, inde quoque uentum emittunt. Sin occurrēt inter se, uentorumq; prælia suscitāt. Sin uerò de quatuor plagis ruant hyemes uarias ferūt atque etiam fulmina, tonitrua & quæ alia huiusmodi sunt. Nubes in quibuscunque finibus conspectæ assimiles floccis lanæ nonnunquam hyemes afferunt. Sed arcus quocunque tempore extiterit, si serenum sit hyems, sin hyemet, serenitas expectanda. Ut autem hæc concludantur, sciendum generalia uisa aeris certis temporibus eadem portendere quæ sunt in superioribus de suis quæq; accidentibus explicata.


Atq; hæcenus placuit de generali inspectione uniuersalium atque particularium signorum breuiter differere. Quod superest, Genitales præcognitiones sicut & ordo postulat nunc deinceps exequemur.

Finis libri secundi.

Claudii Ptolemæi Ma-

THEMATICI DE IVDICIIS,

LIBER TERTIVS.



Xplicata à nobis in prioribus com-
munium euentuum consideratio-
ne, nimirum quæ & natura præce-
dit, & plurimum ualet in peculia-
rium, prout uniuscuiusq; conditio
requirit casuum decretis, quam qui-
dem præscientiæ partē Genethlia
logicam dicimus, existimare con-
uenit utriusque generis unam ean-

demq; uim esse, qua operando qua contemplando. Enimue-
ro tam generatim multis quàm singulis peculiariter acciden-
tium effectrix est errantium stellarum, Solisq; ac Lunæ mo-
tio, mutationis autem subiectarum hisce rerum præcogni-
tio, erudita est secundum conformes cœlestium corporum
per circumfusum nobis cœlū traiectiones accepta obseruatio,
nisi quatenus generalis illa cœlestium efficientia latius patet
ac seipsa contenta est: partilis uerò non ita. Nec uerò initia
utrarumq; unde fumentes cœlestium constitutionem quæ
per eas figurarum commissiones significantur, præuidere ni-
timur, eadem esse putabimus, sed generalium effectio-
num complura, (neq; enim unum habemus uniuersorum) ea que
non ab inferioribus semper accipienda, sed à superioribus,
etiam causasq; euentuū inferentibus. Fere enim in iis omni-
bus ex defectibus luminum euidentiore & uehementi-
bus stellarum occurrationibus cōsiderationem instituimus.
Singulis uerò hominibus peculiariter contingentium & u-
num statuimus exordium & plura: Vnum uidelicet ipsius
concretionis humanæ, complura uerò ea quæ deinceps pri-
mo isti initio succrescunt. Sed hic antiquius habetur unum
illud initium, cùm reliqua tanquàm subiecta sibi perficiat.
Quæ cùm ita se habent à primo initio accipiuntur quæ uni-
uersum nato conueniunt, à reliquis autem quæ labentibus
tempori-

temporibus euenient leuiora grauiorāue iuxta temporum succedentium, quam dicemus distributionem. Cū uerò sit humanae geniturae temporale aliquod exordium, natura quidem ipsius fatus, potentia uerò, & ut contingit cum foetus enitendo in lucem æditur, si constet de fationis tempore ita ut illud uel casu uel obseruatione compertum sit, illud sane sequi conuenit ad corporis animiq; peculiare conditiones coniectandas, considerando cuiusmodi sit effectuum quæ tunc temporis sit astrorum constitutio. Semel enim in initio cū pro ratione circumfusi cœli suam qualitatem semen induit, licet succedentibus temporibus corporatura diuersa fiat, cū tamen propriam tantum materiam natura augete sibi conciliat, magis imitatur primum illum statum suum & peculiarem priusque impressam conformationem. Verum enim uero, quando illud initium (ut fere euenire solet) ignoratur, à partu necessario accipiendum est, quod & ipsum maximum est, & hoc solo à priori superatur, quod per illud etiam quæ ante partum contingunt præscire liceat. Ac profecto si quis illud initium quis appellauerit, hoc uerò quasi post principium magnitudinem huius tempore quidem inferiorem, æqualem uerò atq; adeo perfectiorem potentia constituerit, ut propemodum non abs re illa feminis humani, hæc uerò hominis appellari possit generatio. Siquidem multa etiam tunc infanti accrescunt quæ prius cū in utero materno esset illi non aderant, atq; hæc peculiaria humanae naturæ, corporisq; configuratio, licet illi nihil uideatur nouæ qualitatis in partu accedere, hoc acquirit ut iuxta cœli circumfusi constitutionem in lucem ædatur, quū natura post maturitatem foetus ad conuenientem sitū, similem q; illi quo primum informari cæpit partum urgeat, ut merito & huius generis effectuum existimare conueniat significationem esse, quæ in partu contingit astrorum constitutionem, non ut effectricem omnino sane, sed quæ necessario simillimam efficiendi uim potentia complexa sit. Cū autem propositum nobis sit hanc etiam partem nō omittere, ad eum quem initio huius operis exposuimus ratiocinando modum, quatenus talem præscientiam consequi liceat, ueterem quidem prædictionum consuetudinem, quæ mistura constat astrorum omnium aut plurimorum, cū multiplex sit & propemodum

modum infinita ratio, si quis accurate eam exequi uelit, magisq; eorum quæ naturaliter contemplando singulatim inueniuntur, quàm quæ præceptis comprehendendi uniuersim possent, declinabimus quod ut minimum utilitatis, ita difficultatis plurimum adferat. Rationes uerò eas per quas singulorum generum decreta præuidentur, & peculiare adeoq; manifestiores circa unumquodq; efficiendi uires, quàm poterimus consentaneæ, naturaliq; conuenienter inuestigationi exponemus. Præfigentes certa circūfusi cœli loca, ad quæ uniuersi humani casus tanquàm scopum quo collimare oportet, referendi ueniunt. Deinde his locis secundum corporum dominantium conciliationem effectrices uires quasi sagittas eo coniiciendas accommodantes, temperandi miscendiq; illud quod ex diuersarum naturarum coniunctiones decernitur, modum relinquemus, tanquàm perito sagittario perquirentium industriæ. Primum uerò dicemus de iis quæ solent in genere considerari in partus exordio, sicut ordo cōsequutioq; monet, à quo exordio omnia quæ natura colligi possunt, accipere licet, Nonnihil tamen conducentibus, si quis curiosior esse uelit, ad sola illa quæ circa cōcretionem peculiariter & ipsum satus momentū occurrunt eadem considerandi ratione acceptis conditionibus.

DE PARTE HOROSCOPI.



Vandoquidem sæpenumero etiam id quod primum ac præcipuum est, momentum uidelicet horæ natalitiæ in dubium uocatur, cum sola ferè Astrolaborum horoscopiorum inspectio prudenter obseruantibus partus momentum prodat, reliqua uerò quibus plurimi utuntur horologia, nō raro à uero aberrare possent, solaria quidem ob situum ac gnomonum accidentem peruersionem, aquatica uerò tum ob laticum naturam diuersis de causis, tum fortuita cohibitione & inæquabilitate facile à ueritate declinant: necessarium fuerit tradere, quemadmodum quis partem signiferi inueniat quæ tum in ortu debeat consistui, iuxta naturæ consentaneam rationem, proposita illa quæ secundum datam proxime horam, ex ascensionum doctrina inuenta est.

Accipiemus igitur
eam

CL. P T O L. D E I V D I C.

eam quæ proxime partum antecessit coniugationem, siue illa interlunio fuerit siue plenilunii, & obseruantes diligenter in interlunio quidē utriusq; luminaris, plenilunio uerò eius quod supra terram extiterit partem, quæ nam stellæ partus tempore gubernent, quæ quidem ratio in his quinque consistit, triangulo uidelicet & domicilio, altitudine, termino, & irradiatione seu configuratione, hoc est, cum unum aut plura horum, aut etiã uniuersa quæ situs locus erga potituram dominatione stellam obtinet. Si igitur unum his omnibus aut pluribus instructum reperiemus, quam ille partem occupat, eius signi in quo uersatur, tum quando foetus in lucem æditur, quota sit animaduertemus: totam enim oriri iudicabimus eius signi quod ascensionum regula proximum huic depræhensum est. Quòd si duo pluresue ad principatum aspirant, cuius partilis locus partus tempore uicinior numero fuerit illi, qui iuxta ascensiones in ortu existit, huius partium numero abutemur. At si duo pluresue in hac propinquitate pares sunt is qui potioem habet rationem, tum angulorum, tum etiam conditionis prærogatiua præferendus erit. Verum sane ubi huius dominationis partium distantia maior inuenitur à posito horoscopo, quàm à mediis cœli cardine, tum eodem partium numero ad constituendum mediis cœli angulum abutentes, secundum eius ductum reliquos cardines figurabimus.

DIVISIO PRAECIPIENDORVM.

Is ita definitis, si quis ordinis sectandi gratia ea, quæ in genituris uniuersim spectanda sunt diuidat, inueniat sane inter ea quæ natura comprehendere possunt quædam ante genituram sita esse, cuiusmodi est de parentibus tractatio. Quædam uerò & præcedere & sequi, ut cum de fratribus & sororibus solliciti sumus, quædam circa ipsam genituram uersari, quæ uaria sunt, neque uno capite comprehendere possunt. Postremo uerò quæ eam sequuntur, & hæc multiplicem habent tractationem. Est uerò inter ea quæ circa genituram uersantur, de masculino & foeminino partu, de geminis aut pluribus. De monstris & de iis qui antequam nutriantur extinguuntur. Inter ea quæ genituram sequuntur est

est de uitæ spacio tractatio, haudquaquam illi connexa, quæ de his qui nutritionem non consequuntur instituitur: deinde, de forma, de morbis, & uitiis corporis, post de animatu deq; eius morbis, deinceps de possessionibus, de dignitatibus, post hæc uerò de opificii genere, mox de coniugio, deq; liberorum procreatione & de societate, deq; mutua beneuolentia amicorū, hinc de peregrinatione, ac postremo de Mortis genere: quæ quidem tractatio, cum natura & potentia conueniat cū ea quæ uitæ de spatio agit, ordine tamen merito his omnibus subiicitur. Ac de uno quoq; horum generum in capita enarrationem instituemus ipsam indagationis institutionem cum nudis effectricibus uiribus ut diximus exponētes. Quæque multi curiosè & petulanter nugati sunt, neq; ullam ueri similitudinem præ se ferentia ad ea quæ naturæ non conuenienter dicta sunt, relegabimus: quæ uerò natura deprehendi possunt, non per sortes & numeros quibus à natura rationes nullæ inditæ sunt, sed ad ipsam figurationum cum familiaribus locis inspectionē collimantes deprehēdemus. Sane in uniuersum in omnibus ne in singulis capitibus idem dicamus, primū quidem oportet in uestigare locum signiferi familiaritate coniunctum generi quæstiones, quemadmodum uerbi gratia, De opificii genere locum signiferi in cœli medio constitutū, aut de patre Solis. Deinde contemplari stellas, quæ domini iūs exercendi in hæc loca habeant secundum eos quos prædiximus quinque modos & siquidem una omnibus modis præfuerit in illam conferre omnem eius euentus decernendi iurisdictionē, Sindæ tresue in eas quæ suffragiorum numero præstant. Post hæc uerò ut quale tandem futurum sit quod decernitur coniectemus uidere & naturas ipsorum dominorum & signorum in quibus ipsi præcipuaq; loca reperiuntur. Ad magnitudinem decretorum spectare utrum sint ualentes tam secundum mundi quàm genituræ statum, an contra. Validissimi quidē sunt pro mūdi situ, cū in domesticis aut etiā in propriis sunt locis, & rursus cū oriētales sunt auctiq; numeris, Pro genituræ uerò situ cū in angulis aut succedentibus locis dispatiantur maxime primis di, co aut ortus mediq; cœli loca.

Imbecillissimi uerò, iuxta mundi situm, quando in alienis locis siue non domesticis & occidentales aut retrogradi fuerint, sed pro genituræ statu cum ab angulis cadunt. Ad tempus uerò decreti uniuersim cognoscendum, utrum matutini sint, an uespertini, tã ad Solem, quàm ad horoscopum comparati, quando quidem antecedentes utrumq; horum quadrantes iisq; oppositos matutinos dicimus, reliquos uerò sequentes, uespertinos. Et in angulis ne reperiantur an succedentibus: Nam matutini cum sunt aut in angulis constituti, suam citius uim exerunt: uespertini uerò aut in succedentibus tardius.

D E P A R E N T I B V S.



Væ igitur iam dicta est singulorum contemplandorum ratio, quam insequi in omnibus oportet, sic se habet. Accingamur nunc iuxta propositam seriem à prima quæ de parentibus habetur tractatione. Sol igitur & Saturnus patri natura familiares sunt, Luna Venusq; matri. Pro quorum statu tum inter se mutuo, tum erga alios de rebus parentum opinandum est. Fortunas enim & opes ex luminum satellitio deprehendere oportet. Circundata namq; beneficis eiusdemq; conditionis syderibus, siue in iisdem signis, siue in proximis illustrem & luminosum parentibus statum decernunt, maxime quando Solem matutina cingunt stellæ, Lunam uespertina, eaq; bene affectæ. Si uerò Saturni quoq; & Veneris stellam contingat orientalem esse in propria persona, aut in angulis fœlicitatem insignem intelligere oportet, iuxta peculiarem utriusq; parentis rationem. Contra si luminaria cursu inania sint & satellitio destituta, humilem & obscuram parentum uitã significant, & maxime quando Venus Saturnusue non sat pulchre uidentur siti. Si satellites quidem non desint, sint tamen diuersæ sectæ ut cum Mars ad Solem fertur, Saturnus ad Lunam, aut si nō sint fœliciter sitæ beneficæ etiam secundum sectæ cognationem, mediocris & inconstans parentum status ostenditur. Si fors fortunæ de qua post dicemus, conuenit in genitura cum Solis Lunæue satellitibus fortunatis per manus tradentur liberis, salua parentum bona, sin minus, aut si repugnat,

&

& luminarium laterones, aut nulli sunt, aut malefici iuutiles erunt liberis parentum possessiones, atq; adeo noxiæ. Longæuitas autem eorum aliunde deprehēditur. Patri nimirum, si Iupiter aut Venus quouis modo Soli configurantur aut Saturno: siue & ipse Saturnus conuenienter Soli configuratur coniunctione radiisue sexangularibus aut triangularibus, si quidem illi potentes fuerint longa uita decernitur: si imbecilles, non ita: neq; tamen continuo breuis. Cùm uerò illud usu non uenit, sed Martis sydus supra Solem aut Saturnum attollitur, iisue succedit, aut si ipse iterum Saturnus cum sole non conuenit, sed uel ex opposito loco uel tetragono aspiciat, decedentes ab angulis ualetudinarios tantum patres efficiunt, breuis autem uitæ aut uitioso corpore cùm angulares sunt, aut angulis succedunt, ac uitam sane breuem in primoribus duobus angulis, ascendente nimirum & cœli fastigio, locisue succedentibus, uitiosos uerò in reliquis occidente nimirum & cœli parte infima. Mars igitur Solem intuitus ad eum quem diximus modum subito interimit, aut uitiū oculis iniicit, Saturnum uerò feriens febrili rigore, uitiisue per sectiones & uisiones inuoluit. Saturnus quoq; male affectus erga Solem, morti paternæ uiam per morbos sternit, turbationesq; ex humoris copia proficiscentes adducit. Quod ad matrem attinet, si Iupiter quocūque modo cum Luna & Venere committitur, aut ipsa Veneris stella cum Luna concordat hexagonis radiis aut trigonis, illiue coniuncta: fortes cùm sint, longæuam matrem significant. Si uerò Mars Lunam aut Venerem intuetur quadrangularibus aut oppositis radiis aut succedens, siue Saturnus hoc modo Lunam solam si minuti cursu fuerint ceciderintue rursus aduersis tantum casibus morbisue implicant, aucti cursu aut angulares breuis uitæ & uitiosas decernūt matres. breuis quidem uitæ in orientalibus angulis aut succedentibus, uitiosas uerò in occidentalibus. Enim uero Mars Lunā ita intuitus orientalem mortes matribus repentinas uitiaq; oculorum adducit, occidentalem uerò, mortes ex abortionibus aut similibus, uitiaq; per sectiones & uisiones. Venerem aspiciens, mortem per successiones maturat, abditisq; in locis nascentia uitia, obtenebrationes & repentinos humorum decursus. Saturnus uerò Lunam irradians mortes morbosq; affert, cùm orientalis ea

CL. P T O L. D E I V D I C.

est per febriles rigores, cum occidētalis per uteri affectiones, & corrosiones. Animaduertere quoque una oportet, ut uitiorum, morborum & mortis genera distinctius eliciamus signorum in quibus stellæ significatrices reperiuntur natiuas peculiareque vires, de quibus oportunius in iis quæ circa genituram contingunt dicemus. Amplius obseruare conuenit die maxime Solem ac Venerem, nocte Saturnum & Lunam. Quod reliquum est in singulariori euentuum exploratione conueniens sanè ac proximum erit patris aut matris locum, qui se pro tempore obtulerit, tanquam orientem ponere, cæteraque quasi proposita parentum genitura, iuxta eas quas deinceps trademus de præcipuis generibus rerum & euentuum inductiones deprehendere. Meminisse autem & in his & in cæteris oportet commistionis, contemplantes uniusue modi sint an diuersi, contrariarumue effectuum illi, qui dominium locorum quæstionis obtinent, qui pluribus affluant ad unumquodque negotium spectantium uirium suffragiis, ut rei significandæ præsent, ut eorum naturæ conuenienter iudicemus. Aut æquilibria cum sunt suffragia, si una fuerint imperantes, id quod ex diuersarum naturarum mistura conflatur, prudenter ratio cinabimur. Si uerò destiterint seorsim unicuique peculiaria tempora gubernandorum decretorum tribuemus, priora orientalibus, occidentalibus posteriora. Verum enim uero initio necesse est quæstionis loco conforme esse id quod efficere possit quidque circa eum sy dus. Alioqui fieri omnino non potest ut aliquid præstet, quod cum principio non conuenit. At sane temporis quo decreta sese produnt, ratio non ex primaria dominatione pendet, sed ex ea quæ dominantis stellæ reperitur ad solem & cardines colloca tione.

DE FRATRIBVS ET SORORIBVS.



Væ ad parentes igitur pertinere uidentur ex his quæ iam dicta sunt manifesta prope sunt De fratribus uerò, si quis & hoc generatim inquirat, nec ultra quam fieri possit, numerum quoque accuratè & singulatim exploret conuenientius sane id acceperit de iis solis qui eadem

eadem matre geniti sunt, ex eo qui cæli medium occupat signiferi loco & matris conditionario, qui nimirum interdiu Veneris est, noctu Lunæ, cum hic quæstioni de prolibus matris destinatus sit, futurus etiam index eorum quæ de fratribus opinari oportet. Cum igitur beneficæ cū hoc loco configurantur, amplum fratrum prouentum pronuntiabimus, pro ipsarum stellarum multitudine, iudicium instituentes, & utrum in signis reperiantur uniformibus an duplicibus. At si maleficæ supra hæc loca attollantur aut iis opponantur paucitatem fratrum significant, maxime si & solem complexæ fuerint. Quæ dissidentia si in angulos cadat maxime horoscopo, saturnus quidem primogenitos, primo uel educandos curat. Mars uerò, reliquorum morte fratrum paucitatem adducit. Si largitores fratrum planetæ fat pulchre quatum ad mundi situm attinet collocati uidentur, splendidos clarosque promitti existimandum est, si contra humiles & obscuros. Si superant largitores aut ad eos feruntur malefici, breuis etiam uitæ: ac mares quidem ab his qui masculini sunt pro mundi situ fœminas à fœmininis. Rursus priores natu, qui orientales sunt, occidentales uerò posteriores. Ad hæc si fratrum autores conuenienter configurati sunt planetæ dominantis signo fratrum, beneuolentiâ mutuam, animosque fraternos tribuunt, si partiquoque fortunæ, uitæ fortunarumque communicationem. Si in signis extiterint nulla necessitudine coniunctis aut contrarium dictis acciderit, contentiosos & inuidos, atque omnino sibi mutuo insidiantes. Quod reliquum est, si quis de singulis curiosam indagacionem instituat, istanquam horoscopum ponens largitoris planetæ locum reliqua non fecus ac in genituris perquirat.

DE PARTU MASCULINO ET fœminino.



Ost absolutam à nobis de fratribus tractationem, proximum est ea quæ circa genituram consistunt, ac primū masculini fœmini que partus considerationem aggredi. Pendet uerò ille non ab uno quopiam & simplici principio sed ab utroque luminari & horoscopo, ab iisque astris quæ ad hæc

hæc loca rationem aliquam adeptæ sunt, maxime quidem ~~fa~~ tus ipsius tempore, planius uerò cùm foetus enitendo in lucem æditur. Omnino autem obseruandum est utrum tria prædicta loca iisq; dominantes stellæ, uel omnes uel plures masculinæ sint, ad mariũ scilicet productionẽ, quemadmodum ad foeminarum procreationẽ foemininæ, atq; ita demũ pronuntiandum. Masculina uerò & foeminina loca stellas uel iudicabimus secundũ rationem nobis in canone tabularum initio huius operis traditam, à signorum in quibus sunt & ipsarum stellarum natura & ab eo quem erga mundi cardines habent situ. Nam orientales cùm sunt, masculescunt: effoeminantur occidentales. Præter hæc ex familiaritate quam habent erga Solem. Nam matutini cùm sunt, rursus masculescunt. Euirantur autem uespertini. E quibus omnibus utrius tandem generis superatio sit coniectare oportet.

D E P A R T V G E M I N O R V M.



IN Gemellorum quoq; plurium uel procreatione, decernenda iisdem duobus nimirum luminari utriq; & horoscopo credendum est Incidere enim solet hic euentus circa commisturas, quando in duobus tribus uel his locis duũ corporum signa reperiuntur, maxime cùm stellæ iis imperitantes eodem spectant, ut quædam in bicorporibus, quædam binæ plures uel una sitæ sint. Si quando & in bicorporibus fuerint dominantia loca & pluribus stellis configurata, plures duobus nasci contingit, quorum multitudinem à numero significatoris planetæ colligimus. Genus autem ab astris cum Sole & Luna & horoscopo configuratis pro masculino aut foeminino partu, quemadmodum ante diximus. Quando uerò huiusmodi constitutio una cum luminaribus non complectitur horoscopi angulum, sed eius loco medi cœli culmen, hæc matres geminos ut plurimum aut plures concipiunt. Peculiariter tribus quidem maribus donant ut in Anactorũ genitura simul prædictis locis in bicorporibus configurati, Saturnus, Iuppiter, Mars. Tribus uerò foemellis in gratiarũ genitura Venus & Luna cum Mercurio effoeminato. Duos uerò mares & foeminam unam largiuntur in Dioscurorum genitura, Saturnus

nus, Iuppiter, Venus, duas fœmellas, unumq; marem in Cereris, Cores & Dionysi Venus, Luna, Mars. In quibus ferè accidere solet quod non ad frugem perueniant quæ nata sunt quodq; non sine insignibus quibusdam corporis notis producantur, & amplius eueniant locis selecta quædam & inopinata, propter illorum casuum ueluti euentiam quandam.

DE MONSTRIS.



Eq; à prædictis alienus est qui de monstris sermo instituitur. Primum enim in huiusmodi lumina quidem ab angulis decidentia, & horoscopo nulla familiaritate coniuncta, anguli uerò ipsi à maleficis occupati reperiuntur. Cùm igitur talis quædam occurrit constitutio quando quidem illa sæpenumero etiam in abiectis & infœlicibus licet neutiq; monstrosis genituris incidit, euestigio inspicere oportet præterlapsam proxime coniunctionem aut oppositionem luminarium eiusq; & genituræ gubernatorem. Si enim genituræ eorum lunæq; & horoscopi loca uel uniuersa uel complura, nulla necessitudine cohærent, cum prædictæ coniunctionis aut oppositionis loco, id quod nascitur contortum & iuuolutum esse significatur. Si igitur his sic habentibus luminaria in quadrupedibus aut feralibus signis inueniuntur, duoque angulis insidentes planetæ malefici, non humanum esse portèditur quod procreatum est. Si beneficorum nullus seu maleficorum quispiam luminaribus testificetur prorsus ab humana forma alienum, & quod ferarum agrestem maleficamq; naturam referat. Si Iuppiter aut Venus, animantium diis cōsecratorum ut canum, felium, simiarum & id genus reliquorum. Si Mercurius, usui humano deuotorum, ut auium, porcorum, caprarum, boum & his similibus. Si in humanis signis luminaria deprehensa sunt, reliquis sic habentibus, humana sunt quoq; quæ generantur monstra, formaq; peculiarem in modum perplexa, cuius ratio & modus ex signorum formis colligitur in quibus quæ luminaria & centra occupauerunt maleficæ stellæ deprehenduntur. Si igitur & sic nullus beneficorum testificetur alicui prædictorum locorum muti fœtus producantur & reuera monstrosi.

strosi. Si Iupiter aut Venus in honore & in præcio habebitur quicquid fuerit portenti cuiusmodi quiddam circa Hermaphroditos, & quos Harpocratiacos dicimus aliosq; eius generis contingere solet. Si & Mercurius præter hæc oraculorum & somniorum interpretes creat & qui hinc uictum querunt, solus uerò mutos * & surdos ingeniosos tamen &

* Arabes sine dentibus uertentur Græca uox utrumq; significat.

DE HIS QUI NON NUTRIUNTUR.



Um reliquum sit ex iis quæ circa ipsam geniturã spectantur, de his qui non nutriuntur dicere intelligere oportet hanc quæstionem interdum annexã esse illi quæ de uitæ spatio agit, est enim utriusq; quod queritur idem genus, aliquando separatam esse eo quòd ipsius investigationis uis diuersa sit. Viuendi enim spatium in iis consideratur, qui tempus aliquod tulerunt, hoc est non minoribus una Solis circuitione. Tempus enim proprie hoc unius anni accipitur, potentia uerò etiam minus est illo menses uidelicet ac dies & horæ. Sed quæ de illis qui non nutriuntur suscipitur quæstio in eos tantum cadit qui ob malitiæ abundantiam minoribus temporibus decedunt. Vnde illa quidem magis uariam habet pertractationem, hæc uerò simpliciolem. Omnino igitur si in angulis sit alterum luminarium & unus maleficorum illi congregiatur siue etiam opponatur, idq; partiliter & secundum figuram æquicruriam, nullo beneficorum interim affulgente & gubernator luminarium in maleficorum locis detineatur, ali non poterit quod natum est. Ad hæc non superuiuet natus, & si non iuxta figuram æquicruriam hoc accidit, sed è propinquo applicet maleficorum radii ad luminum loca duæq; maleficæ uel alteri uel utrique noceant aut secundum successionem aut oppositionem partiliter alteri luminari altera, aut si una quidem ex opposito altera successionem obsit, minime diuturnum erit quod produci tur, cum prauitatis magnitudo demoliatur quicquid ad uitæ diuturnitatem succedentis maleficæ distantia facere uidebatur. Insigniter uerò obest per successionem ut Soli Mars, ita Lunæ Saturnus, Contra per oppositionem autem eleuationem soli Saturnus maxime incommodat, Mars Lunæ, potissimum

simū si eadem possident cum gubernatoribus luminariū & horoscopi loca. Si uerò duæ accidāt oppositiōes luminariū in angulis agentium & maleficorum secundum figuram æquicruriam mortuus aut semiuiuus infans educitur. His ita constitutis si defluere luminaria contingat, ab aliquo beneficorum aut alioqui illi configurari ita ut radii in partes præcedentes iaciantur, superuiuet infans pro numero partium interiectarū inter luminare & radios malefici proxime totidem uidelicet mensibus uel diebus uel horis etiam, pro magnitudine prauitatis & maleficarum stellarum ui. Verum enim uerò si maleficarum radii ad præcedentia feruntur loca beneficarum ad sequentia, quod in lucem æditum est conualescet ac uiuet, Ac rursus si quidem maleficæ supra configuratas in genituali constitutione beneuolas stellas euehuntur, uiuet in pœnā & subiectionem. Si contra hæ extollantur supra illas, expositum aliis parentibus subiicietur. Ac si beneficorum quispiā uel cooritur uel applicat Lunæ, maleficorum uerò occidit aliquis, ab ipsis parentibus in libertatem redditum, filiorum loco enutrietur. Eodem modo in plurium genituris utendum est. Si quidem ad occasū deuoluitur quodpiam eorum quæ duobus pluribusue modis configurantur astrorū semiuiuum est & mutilum & carnis ueluti frustum id quod producitur, Ac si supra illud euehuntur maleficæ nutriti non poterit, & diuturnū non erit ob id quod procreatum est.

D E V I T A E S P A T I O .



Inter ea quæ secundum geniturā eueniūt primo loco de uitæ diuturnitate disserendum erit. Quandoquidem ueterum de more ridiculum est sigillatim ad illum omnia futura referre qui ad horum tempora uitam prorogare non potest. Neq; uerò simpliciter neq; leuiter huius rei consideratio instituitur, sed à præcipuorum locorum domino multipliciter captanda est. Est autem maxime nobis naturæq; conueniens hic modus, omnino enim pendet ex Apheticorum locorum iisq; dominantium deprehensione amplius locorum & astrorum interimentū. Diuidatur igitur horum unumquodq; hoc pacto.

K

De locis

CL. P T O L. D E I V D I C.
D E L O C I S A P H E T I C I S.



Rimum fanè existimandum est esse Aphetica loca, in quibus omnino reperiri necesse est eū qui uelit uitæ gubernandæ iurisdictione potiri ut circa horoscopum à quinis partibus prius, supra finitorem emergentibus usque ad 25 reliquas succedentes, & qui has tricenās partes dextris hexagonis radiis contingit qui boni dæmonis locus dicitur, & qui tetragonis nimirum cœli supra terram fastigium, & qui trigonis qui Deus appellatur, & qui oppositis is nimirum qui in occasum prouoluitur. Præfertur cæteris cœli culmen, proxime qui circa ortum est, deinde qui cœli fastigio succedit, post qui circa occasum existit, tandem qui Medium Cœlum præcedit. Omne enim quod subterraneum est merito post habendum est in præclaro adeo imperii genere eo tantum excepto, quod cum horoscopo in lucem prodit. Ex iis etiam quæ supra terram extant, neq; illum locum qui nullo familiaritatis uinculo cū ascendente cohæret accipere conuenit, qui Argos, id est, piger græcis dicitur neque eum qui prius exortus erat qui mali dæmonis appellatur, quoniam astrorum ibi commorantium in terram effluxus cum etiam ab angulo præcipitetur, turbat ac ueluti abolet, quæ ex terræ humoribus nascitur fumosa tenebricositas qua de caussa suis neq; coloribus neq; magnitudinibus apparent. Deinde Aphetas siue uitæ gubernatores, accipere oportet non quosuis sed præcipua genituræ loca Solis nimirum & Lunæ, horoscopum, partem fortunæ & horum gubernatores.

D E S O R T E S I U E P A R T E
fortunæ.



Ortunæ quidem partem colligimus ubique nocte non secus ac die ex numero partium interceptarum inter Solem & Lunam, si totidem partes ab ascendente signo iuxta signorum consecutionem abiiciamus, quo tunc fanè euaserit supputatio eam signi partem eumque locum dicimus fortunæ fortem continere, ut quàm rationem siue configurationem habet sol ad orientalem finitorem

toris partem eam habeat & Luna ad partem fortunæ & sit ueluti lunaris quidem horoscopus * Verum & illud uidere oportet utrum luminum altero magis in consequentia feratur, Nam si Luna, numerum partium ab horoscopo reiiciendarum pro sorte fortunæ habenda reiicere ueluti consequentia signa uersus oportet. Si uerò in precedentia magis Sole fertur Luna uersus præcedentia Fortassis hoc idipsum est quod ab aliis traditur ut in iis qui nocti geniti sunt à Luna in Solem supputemus, & rursus ab horoscopo contra quam prius dicebamus uersus præcedentia reiiciamus. Atq; hac ratione illa ipsa fortunæ pars eademq; configurationis ratio inuenietur.

* Hæc uidentur à librariis è margine in contextum relata.

Q V O S E L I G E R E C O N V E -
niat uitæ gubernatores.



Ræferendus sanè est in diurnis genituris Sol si in Apheticis locis repertus fuerit, si minus Luna, si neq; hæc illi, qui plura obtinent ad dominandum suffragia & solis loco & proxime elapsæ coniunctioni a horoscopo hoc est cum suffragiorum quinque genera sunt is qui tria ad unum horum locorum aut plura possidet. Postremo si neque hoc usu uenit, horoscopum præferimus. Noctu uerò primum quidem Lunam consulimus, deinde Solem post qui maiorem habet suffragiorum copiam ad Lunæ locum moderandum præcedentis quoq; oppositionis ac partis fortunæ, Sin minus si coniunctio luminarium præcesserit, horoscopum accipimus, at si oppositio partem fortunæ. Si neq; hoc licebit horoscopus uitæ transigendæ præerit. Si uerò & ambo luminaria & propria cõditionis gubernator in locis Apheticis fuerit, id quod maioris dominii fuerit, seligendum est. Tunc demum gubernatorem utrisque luminibus ante ferimus, quando honorificentiozem occupat locum & ad utrasque conditiones gubernandi ius habet.

K 2 Quænam

Q V A E N A M S I N T V I T A E M O -
derandæ rationes

Vm uitæ moderandæ principes indicauerimus, am-
 plius huius quoque moderationis duos esse modos
 intelligamus, eum qui consequentia signa uersus in-
 stituitur, quã actinoboliã, id est, radiorũ projectum dicimus
 quando in orientalibus locis nimirum à cœli culmine & af-
 cendente interceptis Vitæ gubernator inuentus fuerit, &
 eum qui non solum consequentia uersus sed & in præcedentia
 signa peragitur, quã horimæan dicunt, cū in locis à culmine
 declinãtibz reperitur, His ita constitutis, intereptoriæ sunt
 partes secundum eam quæ uersus præcedentia signa fit mo-
 derationem occidentalis finitoris sola eo quod dominum ui-
 tæ labefactet. Syderum uerò occurfantium aut testificantium
 partes adimunt tãtum uel adiiciunt annos, iis qui à uitæ mo-
 deratore colligebantur, usq; ad occasum illius, & non inte-
 rimunt, quòd non in locum apheticum hæ impingant, sed
 contra. Ac adiiciunt sanè benefici, malefici adimunt. Mer-
 curius uti solet, eorum se attemperat moribus cum quibus
 corpore uel radiis committitur. Numerus autem temporis
 adiecti ablatiue colligitur ex partium uniuscuiusque situ
 Quod enim fuerint horaria tempora uniuscuiusq; partis in-
 terdiu diurna, nocturna noctu, tot significantur anni qui sa-
 nè numerus cum in ortu fuerit, integer seruandus est, & se-
 cundum discessus ab ortu proportionem attenuandus, do-
 nec ad occasum in nihilum abeat. Secundum eam quæ
 in sequentia signa fit moderationem, interficiunt loca ma-
 leficorum Saturni & Martis, siue corpore ipso siue radiis
 undelibet tetragonis aut oppositis occurfantium: aliquan-
 do uerò è signis dicto eorum audientibus aut aspicienti-
 bus, secundum æquipollentiam hexagonis quoq;: Tetrago-
 nus quoq; Aphetico loco radius interimit, si est iuxta si-
 gnorum consecutionem. Aliquando è signis longarum af-
 censionum iam deprauatus hexagonus quemadmodum è
 signo breuium ascensionum trigonus. Et cum Luna ui-
 tæ moderationem iniit, Solis quoq; locus interimit.

Valent

Valent enim iuxta hanc uitæ moderationem, hi occurfus ad perdendum aut feruandum, poſtea quàm in ipſum moderatoris locum feruntur. Non tamẽ ſemper exiſtimandum eſt & in uniuerſũ interficiendi uim habere hæc loca, ſed cùm male affecta fuerint. Impediuntur enim ſi in benefici alicuius terminum incidunt & ſi beneficorum aliquis radium eo eiaculatur tetragonum aut trigonum, aut oppoſitum fanè ad ipſam partem interrempticem ſiue ad partes proxime ſequentes, in Ioue non ultra duodenas, in Venere non ſupra octonas. Ac ſi corpus utrumq; dũ eſt & quod occurrat & quod moderatur, non ſit eadem utriuſque latitudo. Quando igitur duo aut plura ferunt utrinque quæque iuuent, quæque interimant, uidendum penes quæ uictoria ſit, idq; & ſecundum numerum & ſecundum uirtutem. Secundum numerum, quando ſcilicet euidenter plura fuerint hæc illis. Secundum uirtutẽ ſi iuuantium aut interficientium Stellarum hæc quidem in domeſticis locis inueniuntur, illæ uerò non, maxime cũ hæc quidem orientales ſunt, illæ uerò occidentales. Omnino uerò earum quæ radiis obrutæ ſunt nullam accipere conuenit, nec ad interficiendi, nec ad commodandi operam, niſi quòd cùm Luna uitæ moderatrix eſt, ipſe quoq; ſolis locus interficit, quando malefici alicuius congreſſu oppreſſus à beneficorum nemine iuuatur aut liberatur.

At uerò annorum numerus quem interſtitia illa reddunt quæ inter uitæ moderatorem & interfectorem interiiciuntur non ſimpliciter fanè, neq; ut ſe obtulerit accipiendus eſt, ſicut plurimi tradiderunt, ex aſcenſionis temporibus ſemper uniuſcuiuſque partis, niſi tunc demum cùm ipſa oriens cœli pars uitæ gubernatorem adeptæ eſt, aut quippiam proxime illi cooriens. Vna uerò ex omnibus ratio reliqua eſt iis qui naturæ conſentaneam conſiderationem inſtituunt, uidere quot æquinoctialibus temporibus ſequentis corporis aut irradiationis locus in præcedentem ſecundum ipſam genituram, peruadat, eo quod æquinoctialia tempora æqualiter tranſeunt & finitorem & meridianum, ad quos locorum ſimilitudines accipiuntur & ualet unumquodque huiusmodi tempus una in Solis conuerſionem.

Quan-

Quando igitur in ipso orientali finitore fuerit uitæ moderator & præcedens locus, ascensionis tempora partium interiectarum usq; ad occurstationem cõuenit accipere, tot enim temporibus æquinoctialibus interfector in uitæ gubernatoris locum, hoc est, in orientalem finitorem fertur. Quando uerò in meridie repertus fuerit, rectæ sphæræ ascensiones, quantis unaquæq; sectio meridianum perambulat. Cùm autem in occidentali finitore uersatur, quantis singulæ intercapedinis partes occidūt, hoc est, quantis oppositæ illis oriuntur. Cùm autem præcedens locus in his tribus limitibus non reperitur, sed medio inter hos interuallo non amplius dictarum ascensionum aut descensionū, aut cœli culminationum tempora sequentia loca ad easdem cum præcedentibus sedes perferunt, sed diuersa. Similis fane & idem locus est qui similem eisdemq; in partibus situm habet, & ad finitorem & ad meridianum: illud uerò proxime accidit eis quæ sub eodem semicirculo sunt ex eorum genere qui describuntur per sectiones finitoris & meridiani: quorum singuli iuxta eandem positionem horam proxime æqualem efficiunt, cumq; circumducitur circa dictas sectiones in eundem quidem situm incidit cum finitore & meridiano, transitus uerò signiferi tempora inæqualia utrobique efficit, eodem modo etiam iuxta aliarum distantiarum situs per inæqualia illis tempora transitiones conficit. Vna tandem nobis erit institutio, cuius opera, siue orientalem siue meridianum siue occidentalem, siue alium quemcunq; situm habeat locus præcedens, id quod respondet temporibus prætergredientibus loci sequentis deprehendetur. Cùm enim acceperimus culminantem signiferi partem & amplius præcedentem & insequentem, primum contemplabimur præcedentis situm quot temporalibus horis distet à meridiano, numerantes quæ inter illam & cœlum medium intersint siue supra terram siue subtus in recta sphæra ascensiones & diuidentes in multitudinem horariorum temporum ipsius partis præcedentis, siquidem supra terram fuerit diurnorū, sin minus nocturnorum. Et quoniam quæ iisdem temporalibus horis distant à meridiano signiferi partes sub uno eodemq; continentur prædictorum semicirculorum, spectare oportebit, post quot æquinoctialia tempora sequens locus paribus horis distabit ab eodem

eodem meridiano, quas postquam collegerimus, uidebimus quot secundum eum qui prioris partis erat, situm æquinoctialibus temporibus abest pars sequens à medio cælo per ascensiones iterum in recta sphaera collectas, & quotquot æquales horas reddit præcedens multiplicantes in multitudinem horariorum temporum partis sequentis, siquidem ad $m.c.$ fiat comparatio diurnorum: si uerò ad $1m.$ nocturnorum, cum exorta ex superatione utriusque distantiae tempora acceperimus quæ sitorum annorum multitudo innotescet.

E X E M P L V M.

Vt euidentius fiat quod diximus, ponatur præcedens locus initium arietis: uerbi gratia, sequens geminorum principium, regio uerò ubi maximus dies est horarum quatuordecim. Horaria igitur magnitudo initii geminorum est temporum æquinoctialium septendecim & 8. scrupulorum proxime, & oriatur primum initium Arietis, ita ut $m.c.$ occupet initium Capricorni, & dissideat à cæli fastigio geminorum principium $148.47.$ Cum igitur Arietis initium distet à meridiano horis temporalibus senis, has ducentes in 17.8 quæ sunt tempora horariæ magnitudinis principii geminorum quando quidem à cæli culmine est temporum $148.$ distantia, habebimus & huius distantiae tempora $102.48.$ Post superationis huius tempora $46.$ locus sequens in præcedente fertur. Tot uerò sunt etiam ascensionis tempora proxime Arietis & Tauri, posteaquam locus Apheticus in horoscopo ponitur. Ponatur similiter $m.c.$ occupare initium Arietis ut absit secundum primam positionem principium geminorum à cæli culmine temporibus æquinoctialibus $58.$ Quoniam igitur ex secunda positione oportet cæli medium occupare locum Apheticum, habebimus prioris distantiae excessum illum ipsum, nimirum $58.$ temporum. quibus rursus eo quod in medio cælo sit locus Apheticus, meridianum prætergreditur Aries & Taurus. Rursus occidat ad eundem modum principium Arietis, ut medium cælum occupet initium Cancri Distet uerò à cæli culmine initium Geminorum præcedentia uersus temporibus æquinoctialibus $32.16.$ Quoniam igitur sex iterum horis temporalibus abest à meridiano Arietis initium uersus occasum, si septies decies eas sumperimus, habebimus $148.47.$ tempora: quibus aberit à meridiano

meridiano Geminorum exordium, quando occidit. Aberrat uerò & iuxta primum situm uersus eandem partem temporibus 32. 17. In temporibus igitur supra terram 70. in occasum fertur. in quibus etiam descendunt Aries & Taurus. Oriuntur uerò his opposita signa Libra & Scorpius. Ponatur igitur in nullo angulorum initium Arietis. distet uerò, uerbi gratia, uersus præcedentia à meridie horis temporalibus tribus ut medium cœlum teneat Tauri pars decima octaua. Distat uerò iuxta primum situm principium Geminorum à cœli fastigio uersus sequentia temporibus æquinoctialibus tredecim. Si igitur rursus 72. 8. tempora in tres horas extenderimus, distabit etiam iuxta secundum situm Geminorum principium à linea medii cœli uersus antecedentia temporibus 50. 24. omnia uerò tempora constituentur 64. 27. Absoluerat autē per suam motionem, cūm oriretur locus Apheticus, tempora 46. cūm cœli meditullium occuparet tempora 48. in occasu 70. 32. Differt igitur iuxta situm intra medium cœlum & occasum collectus temporū numerus ab utroq; aliorum. Fit enim temporum 64. Differt autem pro ratione excessus trium horarum: quando quidem in integris secundum angulos acceptis quadrantibus duodecim temporum erat, in abscessu uerò trium horarum, sex temporum. Postquā uerò eadem ferè ratio in omnibus seruatur, fieri potest ut ad eundem modum simpliciore uia ingrediamur. Rursus enim cūm in ortu est pars anterior, ascensionibus utemur inter eam & sequentem interceptis: cūm in cœli medio est, iisdem recta sphaera desumptis, cūm in occasu descensionibus. Quando uerò mediis horum interstitiis, ut exempli gratia, in prædicta distantia Arietis, primum accipiemus tempora quæ sese offerunt utriusq; anguli proximi. Inueniemus autem, cūm post medii cœli lineam supra terrā posuerimus initium Arietis, intra culminantem & occidentem angulum intercidentia tempora 64. proxime usq; ad initium Geminorum. Culminationum uerò 58. obituum 70. Deinde discamus (ut prædictum est) quot horis temporalibus distet anterior locus ab alterutro angulorum. Quotacunq; enim hæ pars fuerint horarum temporalium quadrantis sex, totam partem superationis utriusq; per angulos delationis auferemus adiciemus uel angulo unde comparationem accepimus

pimus. Vt quoniam prædictorū terminorum excessus est temporum duodecim, ponebatur uerò abesse anterior locus ab utroq; angulorum horis æqualibus, temporalibus tribus, quæ semissem reddūt sex, accipientes uerò & 12. temporum semissem & adiciētes ad 58. aut à 70. auferentes inueniemus superationem 64. temporū. Si uerò duabus temporalibus horis abesset ab alterutro angulorum quæ trientem constituunt sex horarum, Trientem quoq; superationis temporum 12, nimirum 4. si quidem duarum horarum distantia à medio cælo ponebantur, adiecerimus sanè temporibus 58. Si uerò ab occasu, subduxerimus à 70. sic igitur nobis temporum interiectionum magnitudo conuenienter rationi inuestiganda est. Discernemus uerò deinceps in unaquaq; prædictarum occurrationum aut obituū iuxta ordinem ab iis qui temporis breuissimi sunt acceptum & interemptrices & scalares quæq; aliās per traiectiones eueniunt prout inficitur occursum, aut iuuatur ad eum quem diximus modum, & pro singulorum occursum temporali exitu. Afflictis enim simul & locis & in exitu annorum reuolutione Stellarum inficiente præcipua loca mortem certam expectare oportet. At si alterutrum horum humanæ naturæ laborāti succurrat, assultus magnos & graues. Vtroq; uerò iuuante languores tantum aut damna & deportationes temporales: horum peculiari ratione accepta ab occurfantium locorum ad genitura negotia necessitudine. Nihil uerò prohibet interdum disfidētibus iis penes quos interimēdi ius esse oportet occursum singulos æstimantes, aut iis maxime uti qui ad exitū euentū & ad ea quæ post consequutura sunt, comparati esse uidentur, aut omnium pro uirium magnitudine ualētium, obseruationem instituere, eorum uehementiam & imbecillitatem iisdem rationibus coniectantes.

DE FORMA ET TEMPERATURA corporis.



Narrata à nobis de uitæ spatio pertractatione, dicamus secuti præscriptam ab initio seriem, de forma & corporis deliniatione.

Quandoquidem quæ corporis sunt natura ante animam finguntur, & corpus cū sit densius, cognatas ferè habet peculiarium suarum

L

commistio

commistionum apparitiones. Anima non nisi post & paula-
 tim infusas sibi à prima origine dotes in lucem profert. Quæ
 uerò extra nos sunt, succedenti magis deinceps tempore ad-
 uentant. Obseruare igitur uniuersum oportet orientalem fi-
 nitoris partem & succedentes aut gubernandæ eius ius possi-
 dentes erroneas, sicut diximus. Partim uerò & lunam simili-
 ter. Nam ex horum locorum iisq; imperantium informan-
 di natiua ui & horum temperatura, amplius ex coascenden-
 tium ipsis fixarum stellarum deliniatione, ea quæ ad corpus
 fingendum spectant colliguntur, ita tamen ut primas tribua-
 mus stellis penes quas dominandi ius est, secundas ipsorum
 locorum peculiari naturæ. Primum igitur si quis illud singu-
 lari & simplici uia prosequatur, hunc habebit modum. Nam in-
 ter stellas sanè Saturnus quum orientalis est, flauos comodeq;
 habentes procreat, capillis nigris, crispo capite, oculis ma-
 gnis & statura moderata. Temperatura uerò humidior & fri-
 gidior. Occidentalis uerò cum est, nigros & macilentos &
 paruos, capillo simplici, tenues, aliquantulum moderata
 statura, nigris oculis: temperatura uerò frigidiori & siccio-
 re. Iouis uerò sydus locis prædictis imperans, orientale, al-
 bos cum quadam coloris commendatione, capillitio medio-
 cri, nigris oculis & bene magnos, forma uenerabili: tempe-
 ratura uerò magis declinante ad calorem & humorem. Oc-
 cidentalis uerò cum est, albo quidem colore, sed indecenti:
 item capillis rigidis, aut recaluastris etiam & caluos, statura
 mediocri, temperatura uerò humidior. Martis sydus orien-
 tale, rubescentes efficit & staturosos, ac ualentes, oculis cæcis
 hirsutos, capillamento mediocri, temperatura calidiori & sic-
 ciori. Occidentalis uerò rubentes omnino, statura mediocri,
 exiguo capite, subtenues, flauis capillis, rigidos, constitutio-
 ne uerò corporis sicca. Venus similia iis efficit quæ Iupiter,
 nisi quod elegantiore, & plausibiliore, muliebremq; magis ha-
 bitum decencia omnia, habitiora, succulentiora, ac deniq; te-
 neriora. Peculiariter uerò oculos dat decenter sublucidos.
 Mercurius orientalis flauescens, statura temperata & con-
 formi, oculis exiguis, capillamento mediocri, temperatura
 magis ad calidam accedente. Occidentalis uerò cum est, fla-
 uos, rara, & tenui corporis contextura, oculis cauis, capri-
 nis pedibus, subrubescentes, constitutione corporis siccio-
 re.

re. Opitulantur autem unicuique horum configurati. Sol quidem ad formam decentiorem producendam & habitioem. Luna uero maxime in separatione uniuersim ad maiorem conformitatem & robur ac temperaturam uiuidiorem. Particulatim uero habita ratione illuminationis sicut in principio huius operis recensuimus. Rursus in genere cum matutinae sunt stellae & apparentes, ingentia efficiunt corpora, cum que in prima statione fuerint, ualida, ac firmis lateribus. Prae euntes uero, immoderata, & cum secundo constiterint, imbecilliora. Occidentes uero dignitate prorsus nulla, & uitiorum foecunda. Ac cum loca quoque ipsa ad configurationes maxime informationum, & temperaturas ut diximus, conducant, in genere rursus qui a uerno aequinoctio & aestiua conuersione intercipitur quadrans, coloris grati efficit, staturosos, ualentes, oculis nitidis, magis ad humidam calidamque temperaturam accedentes. Qui uero inter aestiuam conuersionem & autumnale aequinoctium comprehenditur, colore medio, conformi statura, ualentes, oculis nigris, hirsutos, capillis crispis, calidiores & sicciores. Qui inter autumnale aequinoctium & conuersionem hybernarn intercipitur flauos, graciles, maculosos, rarae corporis contexturae, capillamenti mediocri, decentibus oculis, frigidiores & sicciores. Qui a brumali solstitio & uerno aequinoctio continetur, nigros, statura conformi, capillis rigidis, subtenuis, temperatura frigida & humida. Particulatim uero humanae quidem figurae constellationes tam intra signiferum, quam extra comprehensae conformia & temperata corpora producunt. Quae uero alterius sunt figurae, deformant ea quidem iuxta suam uniuscuiusque formam hominis corporaturam. Et quodammodo similia iis euadunt membra uel magnitudine & paruitate uel robore & teneritudine, & conformitate. Magnitudine, ut uerbi gratia, Leo, Virgo, & Sagittarius. Paruitate ut Pisces, Cancer & Capricornus. Rursus ut Arietis, Capricorni & Leonis, priora quidem & superiora ad ualentio rem corporis constitutionem faciunt, inferiora & posteriora ad infirmio rem: ita contra Sagittarii, Scorpii, & Geminorum, anteriora quidem ad imbecillio rem temperaturam iuuant, posteriora uero ad robustio rem. Similiter Virgo, Libra & Sagittarius, conformitatem adducunt & moderationem. Scorpius

pius uerò & Pisces & Capricornus minus sibi constantem
temperaturam & immoderationem. Et in aliis similiter, quæ
quidem omnia contemplantes & commiscentes, propriam
& exactam temperaturæ rationem assequemur.

D E V I T I I S E T M O R B I S
corporis.

QUoniam proxima his sit de uitiis & morbis corporis di-
sceptatio, ea nobis primum explicanda est. Et hic eos
qui generalem inuestigationem spectant, respicere
oportet ad finitoris duos angulos, orientalem scilicet & oc-
cidentalem. Maxime uerò ad occidentalem, quod quæ ipsam an-
tecedit, quod quidē nulla necessitudine cum horoscopo con-
iunctum est: obseruare etiam maleficas stellas conuenit, quo-
modo affectæ ad ipsum fuerint. Si enim ad partes succeden-
tes iis quæ iam dicta sunt constiterint, corpore aut radiis te-
tragonis oppositis uel siue utræque maleficæ siue harum altera,
uitia & morbos corporis nato infligunt. Id quæ potissimum, quā-
do luminarium uel alterum uel utrunque in angulis, ita ut dixi-
mus, situm est, ut uel una sint uel ex aduerso. Tunc enim non
solum si succedat maleficorum quispiam, uerum etiam si præ-
cedat luminaria, ipse centrum obtinens potest uitium mor-
bum uel inferre, pro ratione locorum finitoris & signiferi pro
que natura ipsorum, uel maleficorum, uel affectorum syde-
rum, iisque configuratorum. Partes enim uniuscuiusque signo-
rum loco horizontis affecto circumfusæ, significabunt cor-
poris partem laboraturam, & utrum uitium futurum sit an
morbus, an potius utrumque: astrorum uerò naturæ, horum
euentuum genera & causas aperiant. Nam ex potissimis
hominis partibus Saturnus præest auditui dextro, uenicæ,
spleni, pituitæ, & ossibus.

Iupiter, tactui, pulmonibus, arteriis & semini.

Mars, auditum sinistrum possidet, renes, uenas, ac pu-
denda.

Sol, uisui imperat & cerebro, cordi & neruis & denique
dextris omnibus.

Venus, in olfactum, hepar, & carnem dominium exercet.

Mercurius, sermonem gubernat & mentirationique præsi-
det, linguæ etiam, felli, & sedi.

Luna

Luna, gustui, & gulæ, stomacho, uentri, uulvæ, & sinistris omnibus.

Solent uerò uitia plerumq; accidere, cum oriëntales sunt maleficæ, morbi è diuerso quãdo sunt occidētales. Separata enim sunt hæc duo, ac uitium quidem semel infligitur, nec constantes dolores adfert, morbus uerò, uel continuos uel reciprocos. Quantum ad accuratiorem minutiorum euentuum obseruationem attinet, sunt peculiaria quædam his considerandis schemata, ab euentibus crebris ex similibus configurationibus originem habentibus, annotata & collecta. Orbitæ enim portenduntur, alterius quidem oculi, quando Luna solitaria in præfatis angulis reperitur, aut cum Sole congregiēdiens aut ei ex aduersum posita: & cum in alterutra reliquarum erga Solem configurationum, applicatur nebulosarum stellarum alicui, in signifero conuersantium, ut iis quæ in Cancri constellatione sunt, aut pleiadi, aciei quoq; sagittæ sagittarii, & aculeo scorpionis, partibusq; Leonis circa Berenices crinē, item urnæ Aquarii. Amplius quando Mars aut Saturnus ad Lunā in angulis sitā & occidentalem ipsi orientales ascenderint, aut hi ipsi in centrīs cōstituti, solem antecesserint. Si uerò ambobus luminibus siue in eodem signo siue ex opposito, sicut diximus, sitis configurentur, matutini quidem ad Solem cōparati, ad Lunam uerò uespertini utriq; oculo minitatur. Mars quidem à plaga, aut pulsatione ferro aut ustiōe, cœcitatem inducit, & si Mercurio cōciliatus est in palæstris & gymnasiis, aut ab hominū malorū incurfibus. Saturnus uerò per suffusionē, frigus, glaucomata & his similia. Rursus quando Venus constituitur in aliquo prædictorū angulorum, maxime in occasu cum Saturno congregiēdiens, aut ei configurata, aut loca mutuo cum eo permutans, & supra eam Martis sydus attollitur, aut ex opposito ferit, maribus quidem sobolem negat, fœminis uerò abortiones decernit, crudos partus ac fœtus laceros, maxime in Cancro, Virgine, & Capricorno, ac si Luna in ortu Marti se applicat. Quòd si Mercurius Veneri hoc modo configuretur cum Saturno, & rursus Mars supra eam elatus sit, aut ex aduersum respiciat, eunuchi aut Hermaphroditi, & quorū genitales meatus concretifunt in lucem producuntur. His ita habentibus cum etiā Sol configuratur & luminaria, unaq; Venus masculina sunt & Luna occidentalis,

occidentalis, & ad eam maleficæ per proxime sequentes partes ascendant, mares quidem euirati nascuntur & testium uitiis afflicti, præcipue in Ariete & Libra: fœminæ uerò, infrugiferae & steriles. Aliquando neq; ab oculorum uitiis liberi sunt, qui ita nascuntur. Impedita lingua sunt & blæsa, ac balbutiente, quotquot Saturnum & Mercuriũ habent in prædictis angulis congregientes cum Sole, maxime quando occidentalis etiam est Mercurius & ambo cum Luna configurantur. His uerò forte adiunctus Mars, soluere plerumq; solet linguæ inuolutionem, posteaq; Luna illi obuiam fit. Rursum si uel lumina ad maleficos in centrīs hærentes ascenderint aut ex opposito ab ipsis impedita fuerint, maximeq; Luna in nodis siue flexuris constituta, aut in signis obnoxiiis, nimirum Ariete, Tauro, Cæcro, Scorpio, & Capricorno, uitia corporis eueniunt, gibbi scilicet aut claudicationes, & luxationes, si quidem cum ipsis luminaribus fuerint maleficæ ab ineunte ætate & horæ partus. Sin autem in cœli fastigio fuerint & supra luminaria eleuentur, eque regione ponantur, à grauibus periculis, nimirum præcipitationibus, aut latronum incursionibus atq; quadrupedum. Si Mars hoc pacto elatus est ab igne aut uulneribus tumultuose illatis, aut latrocinis. Si Saturnus ex præcipitationibus, naufragio, artuum contraxionibus. Verum enim uero uitia ut plurimũ eueniunt in signis tropicis & æquinoctialibus Luna uersante. In uerno quidem signo, potissimum ex uutiligine: in æstiuo ex impetigine, in autumnali ex lepra, in hyberno ex lentigine & id genus aliis. Morbi uerò accidere plerumq; solent, quando in prædictis constitutionibus malefici configurantur modo contrario, uidelicet uespertini cum Sole, cum Luna matutini. In genere uerò Saturnus uentres frigidos efficit, superuacuis humoribus plenos, pituitosos, defluxibus obnoxios, tenues, ualetudinarios, disentericos, tussientes & egre sordes tussi eiicientes, colicos, leprofos, amplius fœminas ex utero laborantes. Mars sanguinem expuentes, atra bile detentos, anhelosos propter affectum pulmonem, scabiosos, & qui nunquam non uel inscisuris uel ustulationibus, aut texioribus corporis partibus laborent, fistulis nimirum, sanguinis effluxibus, adustionibus etiã ac succēsis depascentibusq; huleribus. Fœminas amplius præter hæc abortibus, aut fœtus

mutili

mutili & inchoati enixibus & corrosionibus solet inuolue-
 re. Peculiares etiam astrorum configuratorū naturæ ad cor-
 poris partes peculiaria quædam in morborum generibus ef-
 ficiunt. Iuuat autem ad malorum uehementiam Mercurius.
 Saturni enim frigus intendit ei conciliatus, magisq; constan-
 ti motione incitat pituitæ defluxus, & humoris turbam, præ-
 cipuæ circa pectus, uentriculum ac guttur, Marti operam na-
 uat exiccando, ut in ulceribus ex denudatiōe & siccitate pro-
 uenientibus incrustatis, apostematis, igni sacro, lichenibus fe-
 ris siue ex nigra bile orientibus, comitiali, lepra & his affini-
 bus. Similiter iuxta signorum uariationes, eorum uide-
 licet quæ in angulis prædictis figurationibus circumfundun-
 tur, accidunt quædam morbis propria. Cancer enim in pri-
 mis & Capricornus, Piscesq; & omnino quæ terrestribus
 sunt & aquaticis similia signa, hulcerum depascentium ac ser-
 pentium calamitates infligunt, impetiginum, scrophularum,
 fistularum, lepræ & his similibus. Sagittarius uerò & Gemini
 comitiam. Et quæ in postremis partibus signorum repe-
 riuntur astra, extremis artibus morbos & uitia inferunt, per
 humorum scilicet defluxus, unde lepræ & uniuersum poda-
 græ & chiragræ oriuntur. His igitur ita constitutis si nullus
 beneficorum configurabitur maleficis morborum autori-
 bus aut luminibus angulos occupantibus, insanabilia & gra-
 uia erunt, siue uitia, siue morbi. Idem coniectandū est, si con-
 figurati quidem sunt benefici, sed à maleficis suppositi in po-
 testate constitutis. Si uerò ipsæ beneficæ stellæ iuxta præci-
 puas configurationes positæ, supergrediuntur supra malefi-
 cas quæ morbis uitiiisq; occasionem dabant, tunc uitia decen-
 tia erunt, minimoq; dehonestamento, morbi mediocres be-
 neq; tractabiles & nonnunquam facile curabiles, quando ui-
 delicet beneficæ stellæ orientales sunt. Ac Iupiter quidem
 humanis auxiliis per opes & dignitates tegere uitia solet,
 morbosq; mitigare. Cum Mercurio etiam medicamentis &
 medicorum conciliis Veneris stella deorum prædictionibus
 & oraculis uitia quodammo elegantia plausibiliaque ef-
 ficat, morbos diuinitus petitis curationibus mitigabiles. At si
 illi Saturnus congressus sit, non sine ignominiosa pœna &
 uulgo nota aliisq; id genus. Si Mercurius non sine subsidio
 & lucro ad ipsum ægrotum ex morbis & uitiiis redituro.

De quali

CL. P T O L. D E I V D I C.
D E Q V A L I T A T E A N I -
mæ.

DE iis igitur quæ corpori eueniunt sit hoc ueluti simula-
chrum quoddam consyderationis. Eorum uerò
quæ ad animæ qualitatem pertinet, intellectus quidē
& rationis contemplatio à Mercurii constitutione accipien-
da ubiq; est, morum uerò & hebetiorum animæ actionum &
à ratione secretarum, à luminaribus corpulentioribus, nimi-
rum à Luna & astris illius uel separationi, uel applicationi
configuratis. Cùm uerò multiplices sint animæ motionū &
uariæ formæ, merito sanè & hanc considerationem non sim-
pliciter & temere instituerimus, sed per multam ac uariam ob-
seruationē. Ac signorum quidem qui Mercurium & Lunam
& dominium in eos exercentia sydera circumstant, differen-
tiæ multum momenti adferunt ad peculiare animorum do-
tes & rationem habentium ad prædictorum astrorū genus
configurationes ad Solem & angulos ac denique peculiaris
uniuscuiusq; syderis ad animæ affectiones procreandas natu-
ra. Signa igitur mobilia, ut generatim dicamus, publicolas
mentes generant ciuiliū forensiumq; negociorum cupi-
das. Amplius ambitiosos, diuinis uacantes, ingeniosos, agi-
les, indagatores, inuentores, bene coniectantes, refutatores,
diuinatores. Bicorpora uerò signa, uarios, mutabiles, indoci-
les, leues, permutationis auidos, neuiquam simplices, ama-
tores, uersipelles, musicæ studiosos, negligentes, obuios, ad
pœnitudinem pronos. Fixa obseruantes æqui, alienos ab af-
sentatione, constantes, confirmatos intelligentes, toleran-
tes, laboriosos, rigidos, continentes, iniuriæ illatæ memo-
res, cœpti operis prosecutores, contentiosos, ambitiosos, se-
ditiosos, cupidos, præfractos, non facile flexibiles. Confi-
gurationum quæ orientales sunt & apud horoscopum, ma-
xime quæ in proprio intuitu siue persona, liberos, simplices
& præfractos, fortes, ingeniosos, acutos, & apertos præstāt.
Matutinæ uerò stationes & cœli culminationes, ratiocina-
tores, constantes, magnanimos, memores, cœpta urgentes
immobiles, fortes, fraudis expertes, prudentes, inflexibiles,
crudos, censores, negociosoe, scelerum uindices scientiis
idoneos, ortus uerò stellarum in noctis exordio & occasus
insta-

bilis, flexibiles, infirmos, laboris impatientes, facile concitabiles, humiles & uiles, timidos, dubios, timide audaces, obtusos, iactabundos, tardos. Vespertinae stationes & subterraneae culminations, amplius in Mercurio & Venere die quidem uespertini obitus, noctu uerò matutini, ingeniosos & sapientes, non nimis memores, neque laborum aut patientes aut cupidos, oculorum perscrutatores, & inuisarum rerum indagatores, ut magicarum, mysteriorum, sublimium, organicarum, fabrilium, operum mirabilium architectos, rerum coelestium & philosophiae studiosos, aruspices, diuinatores ex somniis & his affines. Quando uerò in propriis aut domesticis locis fuerint & fertis astra quae animis formandis praesunt, quemadmodum in principio huius operis discreuimus, illustra & non impedita, suis uiribus suffulta & lucrosa decernunt sua omnia, potissime cum ipsa astra utriusque loco dominantur, nimirum Mercurio qualitercunque configurata, à Luna separantur, aut ad eam se applicant. Sin aliter sunt sita & in locis alienis, quae ex sua natura peculiariter animis imprimunt obscura, occulta & inchoata sunt. Quae uerò ab iis qui his dominantur aut elati sunt supra ea proficiscuntur ualida & iis quibus insunt noxia sunt omnia, ut qui propter maleficarum stellarum commoda diuersoria mali sunt, dominantibus ipsis stellis facile ad nocendum aliis ac sine suo periculo, nec impediti, nec sine gloria & lucro, concitantur. Superatis autem his ab iis quae sunt alterius sectae siue familiae, non impune aliis insultatur, & animaduersionem facile incurrunt. Contra qui propter beneficarum stellarum ad praedicta loca familiaritatem boni & aequi sunt, si nullae supra eas elatae sint, gaudebunt, & bene audient ob ea quae in alios conferunt beneficia, nec à quoque contumelia afficientur, sed utilis & foecunda erit sua ipsis probitas. Deuictis uerò his à stellis contrariis: qui sua mansuetudine & humanitate in aliorum fugillationem & contemptum, uim, contumeliamque incurrunt. Haec igitur est in genere sumpta harum rerum consideratio, nunc singularia ab astrorum propria natura secundum eorum dominum pendetia, deinceps summam percurramus, quo ad commistionem & contemperaturam eorum quae uniuersum deprehendi possunt, assequamur.

M

Satur-

Saturnus igitur solus gubernationem animæ nactus dominusq; Mercurii & Lunæ, si bene situs fuerit respectu orbis & angulorum efficit nimium corporis sui ac uitæ studiosos, rigidis sententiis, profundis meditationibus, austeros, suæ pertinaciter sententia adfixos, laboriosos, imperiosos, scelerum seueros uindices, superuacaneis intentos, auaros, uiolentos, thezauros coaceruantes, inuidos. Contra obscuro loco positus, fordidos, præparcos, abiectos, suis sententiis in nixos, inuidos, timidos, solitarios, maledicos lugubri semper habitu, impudentes, superstitiosos, laboriosos, suorum liberum & necessariorum negligentes, domesticis suis insidiantes, tristes, ualitudinis suæ rationem nullam habentes. Si uerò Ioui sit prædicto modo conciliatus & honorato loco constitutus, bonos, reuerentes maiorum natu, compositos, bene sentientes, aliis commodantes, impigros, exacti iudicii, quæstuosos, magnanimos, liberales, temere nihil inceptantes, familiæ suæ studiosos, mites, prudentes, patientes, philosophos. Si secus, ineptos, furiosos, formidolosos, superstitiosos, sacra uersantes, incantatores, suspicaces, liberorum suorum osiores, amicis destitutos, abditis locis latentes, infidos, inepte elegantiam affectantes, uirulentos, dissimulantes, imbecilles, ambitiosos, ad pœnitudinem pronos, fatuos, ac proinde tolerantes malorum & iniuriarum. Marti uerò prædicto modo conciliatus, in prospera constitutione, reddithomines citra delectum multa inceptantes, ore libero, laboriosos, turbulentos, timide audaces, rigidos, immiseri cordes, fastidientes aliorum, asperos, bellaces, temerarios, seditiosos, fraudulentos, insidiatores, implacabili ira, perturbationibus inhiantes, tyrannicos, cupidos. Reipub. ad uersantes, contentiosos, illatæ iniuriæ memores, funditus improbos, uehementes, intolerabiles, tumidos & inflatos, importunos, gloriosos, infestos, iniquos, impunitos, ab omni humanitate alienos, immobiles, pluribus sese negociis implicantes, agiles tamē & artificiis idoneos, inuictos & omnino lucrosos. Si uerò infeliciter situs est, raptores, latrones falsarios flagitiosos, turpi lucro incumbentes, incompósitos à liberis & necessariis abhorrentes, contumeliosos, insidiatores, fures, periuros, crudeles, nefarios, maleficos, homicidas, incantatores, impios, sacrilegos, sepulchrorum effossor-

res,

res, ac plane improbos. Veneri cōciliatus, prospereq; cōstitu-
tus, efficit hoīes ingenio à mulieribus abhorrēti, ad senes ue-
rò propēso, solitarios, inamēnos in cōuictu, ab ambitioē re-
motos, formosa natiuo odio declinātes, inuenustos, inuidos
austeros, alienos à cōgressu, & cōuictu, suis sentētiis innixos
uates, religiosos, mysteriorū & oraculorū cupidos, sacrificos
diuinos, uenerabiles, & uerecūdos, philosophos, fideles in cō-
uictu, stabiles, cōtinētes, ratiocinādi ui præditos, cautos ad in-
dignationē pronos, in re uxoria suspicaces & zelotypos. Si
infeliciter situs est, lasciuos, incōtinētes, obscēnos, sine deli-
beratiōe plerunq; agentes, impuros in congressu, immūdos
fœminarum dolis expositos, ac maxime domesticarū, auda-
ces, prorsus infames, procliues in Venerē, pulchra declinan-
tes, obtrectatores, maledicos, temulētos, obsequiosos, ne-
farie in coeundo affectos, nō in eo rātū qui naturæ cōsentā-
neus est, uerū etiā præter naturā seniorū, ac uiliū hoīm, ac de-
niq; bestiarū lege uetitos cōgressus appetētes, impios, deorū
irrisores, mysteriorū sacrorūq; prophanatores, infidos, calū-
niatores, nihil non tētantes. Mercurio cōciliatus, honorato
loco positus curiosos efficit, sciscitādi auidos, iuris indagato-
res, rerū medicarū studiosos, arcanorū & eorum quæ uul-
go efferre religio est nō expertes, miraculorū architectos, ca-
ptiosos, in diem uiuentes, agiles, procuratores, solertes, acu-
tos, amarulētos, diligentes, sobrios, industrios, lucrosos. Cō-
tra infeliciter situs, nugones, iniuriæ illatæ memores, duris
animis, laboriosos, suorum osores, inuidos, tristes, nocti ua-
gos, insidiatores, proditores, immisericordes, fures, magos,
incantatores, machinatores, mala fide in negociis uersantes,
offensatores facileq; impingentes.

Iouis uerò sydus quādo solū gubernationē animi nan-
ciscitur in felici situ, efficit magnanimos, gratiosos, pios re-
uerētes, hilares, humanos, magnificos, liberos, iustos, miseri-
cordes, affabiles, excogitandi ui præditos, liberorum & af-
finiū studiosos, principatui & regnoidoneos. Diuerso mo-
do positū, similia ueluti simulachra iam dictorū animis im-
primit, obscurius & humilius oīa ut pro magnificētia, pro
digalitatē: pro pietate, superstitionē: pro uerecundia, timi-
ditatem: pro ueneratione, multitudinis existimationem tan-
tum: pro humanitate, fatuitatem: pro amore pulchrarum

C L. P T O L. D E I V D I C.

pro libertate responsandi, & quibusuis sine discrimine obloquendi assuetudinem, & id genus cætera.

Marti uerò conciliatus, honorata collatione asperos producit, pugnaces, militari ingenio, & ad res procreandas idoneos, dominos, nemini parentes, audaces, sponte se periculis obiectantes, negociosos, ore libero, ad reprehendendum pronos, cœpta prosequentes, contentiosos, primatum nunquam non affectantes, prudenter insidiantes, uincendi studiosos, magnanimos, ambitiosos, animosos, omne iudicandi arbitrium sibi sumentes & hæc omnia sceleriter. Si aduersa fuerit Iouis constitutio contumeliosos, sine discrimine unicuique manus iniicientes, crudeles, irreconciliabiles, seditiosos, contentiosos, peruicaces, calumniatores, insolentes, cupidos, raptos, uariabiles, leues, & quos crebro actorum poenitet, temerarios, inconstantes, infidos, multo iudicio, cognitione nulla, turbulentos, insidiosos, faciles ad uerbera, querulos, prodigos, nugaces, enormes & inconstantes.

Veneri conciliatus Iupiter sceleris situ, pueros, uoluptuarios, pulchrorum amantes, artificiosos, sciendi cupidos, musicos, cantores, leues, fraudi expositos, beneficos, argutos, minime malos, pios, & deorum cultores, certaminum studiosos, prudentes, amatores, uenustos, sed non sine maiestate quadam, splendidos, gnaros, liberales, literarum studiosos, iudicio præditos, modestos ac honestos erga rem Veneream, contentiosos, æqui amantes & honoris cupientes, ambitiosos, & ut uno uerbo dicam, decenter & eleganter probos. Si minus sceleris situs est, delitiis operam omnem nauantes, effœminatos, saltatores, muliebri & euirato animo, sumptuosos, amatores, segnes, somnolentos, in Veneream pronos, adulteros, ornatui nimis indulgentes, molles, ignauos, prodigos, ad cauillandum propensos, prope fatuos, affectuum impulsus non coercentes, cultum & muliebrem elegantiam affectantes, muliebribus sententiis, sacris insistentes, lenones, mysteriorum indagatores, fidos sane & non improbos, gratiosos & affabiles, iucundo conuictu, & in occurfationibus liberiores.

Mercurio uerò sceleris statu conciliatus, literarum cupidos & linguarum, geometriæ amantes, mathematicos, artifices, concionatores, ingeniosos, sapientes, bonos, dapfiles, ciuiles

les & politicos, beneficos, quibus tuto aliquid mandetur, bene moratos, liberales, & qui turba delectentur, callidos, lucrosos, ueluti principatui genitos, pios, deorum amantes, mira in tractando dexteritate præditos, pios erga liberos & parentes & necessarios, familiæ studiosos, eruditos, philosophos, in existimatione ob hæc constitutos. Si secus, fatuos, nugones, in errorem procliues, contemptibiles, furore diuinatorio correptos, sacrificos, uaniloquos, amarulentos, simulantes sapientiam, stultos, superbos, commentores, incantatores, incompositos, multa scientes & memoriæ tenacis, ad docendum habiles, minimeq; impuris cogitationibus obnoxios.

Martis sydus quando solum animi formandi munus nanciscitur in situ scælici, generosos facit, animoq; ad principatum pro openso, diuitiarum cupidos, uersipelles, fortes, multis sese periculis exponentes, temerarios, nulli parentes, sine discrimine inter homines agentes, peruicaces, acutos, audaces, fastidientes aliorum, tyrannicos, ad pugnam procliues, iracundos, ad exercitum ductandum idoneos. Sin aliter crudeliter, contumeliosos, sanguinis profundendi & tumultus concitandi cupidos, prodigos, uociferatores, percussores, temerarios, temulentos, raptores, infestos, immisericordes, perturbationibus obnoxios, furiosos, familiæ & domesticorum negligentes, impios.

Veneri conciliatus, in prospero situ amabiles, beneq; tractabiles sociorum studiosos, suauiter conuiuentes, lætos, lusi deditos, simplices & apertos, modestos, saltatores, amatores, liberorum amantes, imitatores, uoluptuarios, cultum corporis non spernentes, in ueneria uitia pronos & salaces, sed sine incommodo aut damno, quiq; uitia sua tegere norint, prouidos, repræhensionem & iudicium siue censuram aliorum non incurrentes, iuuenum amatores, masculorum æque ac fœminarum, sumptuosos iracundos, & zelotypos. Si secus se habet, natos facit oculis emissitiis, segnes, procliues ad Venerea, omnium securos, cauillatores, adulteros, contumeliosos, mendaces, astutos, corruptores domesticorum & alienorum, utq; festinos ad satisfaciendum cupiditatibus, ita facile fatiabiles, mulierum ac uirginum constupratores, crebro se periculis obiectantes, calidos, immoderatos, insidiato-

C L. P T O L. D E I V D I C.

diatores, periuros, faciles ad lapsum & dementiam, interdum etiam seipfos ornare gestientes, audaces, peruersos, & insolenter petulantes.

Mercurio conciliatus situ fœlici uehementes reddit in dicendo, militares, strennuos, agiles, indespectos, uersipelles, habiles, sophistas, laboriosos, ueteratores, lingua promptos, ad inuadendum faciles, dolosos, inconstantes, ex insidiis hominem adorientes, malis artibus imbutos, ingeniosos, deceptores, simulatores, insidiatores, male moratos, curiosos, malorum amantes, prospere tamen agentes & cum æqualibus & similibus facile, iucundeq; conuersantes, amicè recipientes, ac omnino ut inimicis incommodantes, ita amicos prouehentes. Si aliter situs est, decoctores, alienorū usurpatores, crudeles, periculis se exponentes, audaces & quos non raro actorum pœniteat, faciles ad uerbera, immoderati motus, mendaces, fures, impios, periuros, irruptores, seditiosos, incendiarios, histriones, infestos, latrones, sepulchrorum effossores, truculentos, falsarios, mala fide rem tractantes, incantatores, magos, ueneficos, homicidas.

Venus sola animi gubernaculo præsidens, honorifico loco sita, blandos, bonos, uoluptuarios, omnibus expositos, cordatos, puros, saltandi studiosos, affectatores, lætos, laboris fugientes, artium amantes, decentes, deorum mire reuerentes, habiles, in somniis fœlices, pio affectu erga liberos & necessarios, beneficos, misericordes, liberales, lucrosos, ac deniq; Venerios. Si aliter, ignauos, amatores, effœminatos, muliebres, timidos, præcipitabundos, in rem Veneream procliues, neq; infames neq; claros, sed obscuros & latentes.

Mercurio conciliata fœlici situ, reddit ad opificia manuarum promptos, animo philosophico & scientiis apto, ingeniosos, opifices, poetas, elegantes, bene moratos, uoluptuarios delicatos, lætos, sapientiæ amâtes, amicis amicos, pios, prudentes, uaria machinantes, meditabundos, aptos mente, gaudentes officio, celeriter atq; adeo libenter discentes, idq; sine magistri opera, æmulatores optimorum, affectantes eorum quæ pulchra sunt, ore honesto, gratiarum affatim plenos, sermone amabili, moribus moderatis, probos arena delectatos & palæstra, iudicandi acumine non destitutos, magnificos.

Quantum ad Venerea pertinet à mulierum consuetudine abstinentes

stinentes, ad puerorum congressus propensiores & zelotypos. Si secus, irruptores, machinatores, ore impudico, nunc harum nunc illarum partium, peruersis sententiis, deceptores, perturbatores, mendaces, calumniatores, periuros, penitus peruersos, insidiatores, incompositos, inhospitales, falsarios, mulierum constupratores & puerorum. Amplius cultui corporis deditos, molles, infames, quiq; in ore sint omni populo, omnibus se immiscentes, interdum recte iudicantes interdum secus, turpia perpetrantes, & pro uario affectionum motu unumquenq; contumelia afficientes.

Mercurius sine collega animum gubernans sceleriter situs solertes, ingeniosos, mentis ui præditos, multarum rerum peritia instructos, ad inueniendum idoneos, experientes, bene ratiocinantes, coniectando scopum ferè attingentes, naturæ rerum peritos, bonæ indolis, imitatores, beneficos, contemplandi ui præditos, mathematicos, arcanorum conscios & prospere hæc omnia. Si aliter positus est, uafros, impræmeditados, obliuiosos, impetuosos, leues, uariabiles, inepte elegantiam affectantes, insipientes, facile per errorem peccantes, mendaces, nullo discrimine utentes, inconstantes, infidos, alienis imminentes, iniustos & omnino mentilabili & in errores seductili. Cum his ita constitutis, cõferenda etiam erit Lunæ constitutio. Nam si in flexuris extiterit austrini & borei limitis, cooperatur ad mentis animiq; naturam, quod efficiat omnia uariabiliora, & indolem plurimum machinatricem ac deniq; inconstantiorum. In nodis uerò, acutiorem, magisq; industriam & agiliorem. Amplius ascendens & aucta lumine, nobiliorem, illustriorem, ac solidiorem liberioremq;. Si minuta lumine aut solis iubare oppressa est tardiorum, hebetiorum, & ad pœnitentiam propensiorum, obscuriorum & tectiorum quoq;. Sol etiam ad partes uocatur quocunq; tandem modo animæ gubernatori conciliatus in felici constitutione, eo quòd omnia reddat æquiora, rectiora, perfectioraq; & plus dignitatis siue maiestatis pro se ferentia, magis deniq; pia. Infeliciter situs, neq; hospitio receptus, humiliora, difficiliora, minus præ se dignitatis, minus maiestatis ferentia, simpliciora, seueriora, magisque cruda, intractabiliora, atq; omnino correctu aspe-

reriora,

De uitis

CL. P T O L. D E I V D I C.
D E V I T I I S E T M O R B I S
animi.



Vandoquidem post animæ explicatam peculiarem naturā proxime sequitur de præcipuis eius affectionibus seu morbis tractatio: In genere igitur rursus obseruare expedit Mercurium & Lunam, quo pacto habeant se ad inuicem, adq̃ angulos, & malefaciendum idoneas stellas. Vt si ipsi inter se inconiuncti sunt, & apud orientalem finitorē à maleficis aut male affectis stellis supploduntur, aut circundantur, aut ex opposito feriuntur multorum animi morborum authores sunt, quorum temperatio & mixtura, ex præcognitis syderum his locis conciliatorem propriis conditionibus intelligenda est. Bona igitur pars mediocrium & minutiorum animi morborum explicata in præcedentibus est, & potest eorū intentio aut remissio ex eorū authoribus maleficis stellis colligi. Verū enim uero quæ insigni interuallo à mediocritate dissident, eam uidelicet aut superantia, aut non attingentia, ac ueluti morbosa ex omni parte, ac secundum uniuersam mentis constitutionem, hanc habent uelut in tabula explicatam summam considerationem. Epileptici plerunq̃ fiunt, quotquot Luna & Mercurio nulla familiaritate cōhærentibus, in orientali finitore. Saturnum per diu, Martem uerò noctu sustinent intuentem prædictam figurationem. Furiosi uerò, quando præter ea quæ dicta sunt è diuerso Saturnus nocte, Mars die figurationi dominatur, potissimum in Cancro, Virgine, aut piscibus. Dæmonioplecti nascuntur & Lunatici quando sic cōstitutæ maleficæ Lunam præhendunt ad solis radios properantem, Saturnus quidem cum sole congregientem, Mars uerò oppositam, maxime in sagittario & piscibus. Solæ igitur maleficæ prædictum ad modum uictoriam schematis nancissentes immedicabiles reddunt, quos diximus, morbos, fertos tamen neq̃ passim in populum fama dispersos. Si uerò conciliatis Ioue & Venere maleficæ in occidentalibus partibus sint, beneficæ uerò beneficis locis & angulis sitæ, medicabilia quidem, sed illustria nimis hæc uiria constituunt ac uelut publica exempla. Iupiter enim medicorum opera sanabilia significat, Venus oraculis & deorum subsidiis. At si contra malefi

cæ

eæ in orientali angulo consistunt beneficis ad occasum reie-
 ctis, incurabilia iuxta ac illustria maximeq; omnibus inuul-
 gata. Epilepticis continuitatem morbi afferunt, uociferati-
 ones, & mortis sæpe terrores iniiciunt. Ad insaniam & stu-
 porem adiiciunt in domesticos incoercitam licentiam, de-
 nudationem crebram & blasphemias hisq; cognata. Ad dæ-
 monoplexiam aut cerebri uuiditatem, bacchantium consue-
 tudinem, occulta passim prodendi morem, uerberationes, &
 his similia exempla. Peculiariter uerò ex locis quæ figuratio-
 nem compræhendunt, Solis & Martis loca ad insaniam effi-
 cacia in primis sunt. Iouis & Mercurii ad comitiales Vene-
 ris ad numinis adflatus & arcanorum reuelationes. Saturni
 & Lunæ ad humorum copiam, ac dæmonoplexias. Hi sunt
 ferè morbi qui circa uniuersam agentis animæ constitutionē
 eueniūt, & ex his figurationibus colliguntur. Quæ ad eius par-
 tis quæ affectiōibus percellitur naturā pertinet, è potissimo ge-
 nere æstimata, uidetur maxime circa masculini aut fœmini-
 ni sexus excessum ac defectū iuxta utriusq; naturā uersari. Iu-
 dicantur uerò simili cum prædictis ratione, nimirū cum Lu-
 na Solē in Mercurii locum surrogantes & Martis cum Vene-
 nere ad illos configurationem. His ita oculis expositis si lu-
 mina sola in masculinis signis sunt, mares naturam mas-
 culinam superant, fœminæ ad uirilem nimium indolem na-
 turamq; transeunt. Si uerò Mars quoque & Venus, siue u-
 terq; siue alteruter masculini fuerint, uiri ad conuenientes na-
 turæ congressus procliuēs admodum fiunt, adulteri, incoer-
 cibiles, & nunquam non accincti ad turpem & illegittimam
 commiscendorum corporum uoluptatem. Fœminæ uerò
 coitus præter naturam instituti appetentes euadunt, salaces,
 oculis emissitiis, & quas tribades appellant, uirilia sibi mu-
 nia sumentes. Et si quidem sola Veneris stella mascula fuerit,
 clancularia hæc & latentia uitia significat. Sin etiam Martis,
 aperta, ut legitimarum uxorū loco habeant nonnunquam
 quibuscum commiscentur. E diuerso cum luminaria in præ-
 dicta figuratione in locis fœmiuinis inueniuntur, fœminæ in
 iis quæ sibi natura conueniunt modum non sciunt, uiri præ-
 ter naturam ad fœminarum mollitiem & euirationē propen-
 dent. Cum adhæc Venus quoq; fœminina est, fœminæ procli-
 ues in Venerem, adulteræ & salaces fiunt Venereamq; ope-
 N ram

ram & conuenientes, potissimum sexui suo congressus, neq̄
 ullo tempore, neq̄ hominum ulli recusantes, turpe aut illegi-
 timum sit, nihil pensi habentes. Viri uerò molles & ad natu-
 ræ ignotas coitiões præcipites & cõcitatos, quiq̄ muliebres
 sibi partes congregiundo uendicant, occulte id fane & tecte.
 At si Martis quoque stella effœminata fuerit aperte ac libe-
 re, & urbana prorsus fronte quæ diximus exercebunt, mere-
 triciam illam & publicæ prostitutorum turpem & execrabi-
 lem personam induiti, usq̄ ad cõmunem populi indignatio-
 nem & deuotionem infames. Conferunt etiam orientales &
 matutinæ figurationes Martis & Veneris, ut hæc omnia ui-
 rilia sint & illustriora notioraq̄, occidentales autem & ue-
 spertinæ muliebria magis & tecta. Haud dissimiliter Satur-
 nus his accedens ut sint insolentiora & impuriora hæc om-
 nia & cum maiori turpitudine ac dedecore cõiuncta. Iupiter
 uerò ut decentiora, uerecundia quadam uelata & tutiora. De-
 niq̄ Mercurius hæc reddit uulgo notiora, agilia millicq̄
 modis uaria, & cautius instituta.

Finis libri tertii.

Claudii Ptolemæi pelu-

SIENSIS QVADRI PARTI-
ti operis Liber quartus.



Væ igitur genituram præcedunt illiue conne-
xa sunt, amplius ea quoq; quæ eam comitan-
tur, cuiusmodi sunt uniuersæ animi & corpo-
ris constitutionis propria, hæc fere sunt quæ
diximus. Eorum uerò quæ aliunde accedunt
& deinceps explicandorum primus est de opi-
bus & dignitate existimationeq; nati sermo. Cohæret enim
ut rerum possessio iis quæ corpori propria sunt, ita hono-
ris quæ ad animum pertinet.

DE NATI FORTVNIS.



Væ igitur possessionis sunt, à sorte siue parte fortu-
næ petenda sunt tantum illa ob quàm solis à Luna
distantiam ab horoscopo abicimus tam in diur-
nis quàm nocturnis genituris, propter eas quas ubi de uitæ
spatio egimus causas attulimus. Videre igitur oportebit eos
qui signi hac ratione inuenti gubernationem sibi uendicant,
ut ualeant, an commodis & familiaribus in locis sint, sicut in
principio differuimus. Amplius consulendæ sunt stellæ quæ
eis configuratæ sunt aut supra eos euectæ eiusdem sectæ aut
contrariæ. Si ualidi sunt ii qui fortunæ sortem gubernant,
diuites efficiunt, maxime si à luminibus testimonio familiarita-
tis corroborentur. Verum Saturnus diuitias largitur per ædi-
ficia, nauigationes, agriculturam. Iupiter per ea quæ ipsi con-
credita sunt per præfecturas, per sacerdotia. Mars per militiã
& exercitus ductationem. Venus amicorũ & fœminarum do-
nis & beneficiis. Mercurius per eloquẽtiã & negociationem.
Peculiariter aut Saturnus fortunarum forti cõciliatus si cum
Ioue configuratus fuerit, hæreditates donat, maxime quan-
do in supernatibus angulis hoc acciderit Ioue occidente in
bicorpori signo, aut applicationem ad Lunam habente, tunc
enim ad liberorum procreationem deducti alienorum heræ
describuntur. Ac si quidẽ stellæ eiusdẽ sectæ cum ipsis gu-
bernatoribus, gubernatiõis testimonã ipsæ cõtulerint posses-
siones.

N. 2. siones.

siones illabefactatas conseruant. Si uerò stellæ contrariæ se-
ctæ eleuantur supra loca dominium exercentia, aut iis suc-
cedunt, labefactationem significant futuram bonorum. Cu-
ius euentus tempus in genere accipere licet ex stellarum id ef-
ficientium ad angulos & succedentia loca annutus.

DE FORTVNA HONORIS

& dignitatis.



Væ ad dignitatem & ad hæc beatitatis partem
pertinent, à luminarium statu & satellitum a-
strorum accipimus, obseruantes eorum fami-
liaritates, nã si in masculinis signis fuerint am-
bo lumina & in angulis, siue alterum horum
maxime conditionarium & stipatim quinque
erronibus erga Solem quidem matutinis, uespertinis uerò
erga Lunam reges, erunt qui nascentur. At si satellites plane-
tæ uel in angulis ipsi fuerint, uel ad superiorem cœli cardi-
nem configurati magnam decernunt & stabilem potentiam
orbisq; imperium: quæ quidem maior erit fœlicitas si hæc cõ-
figurationes dextræ fuerint. Si uerò aliis ita habentibus so-
lus Sol in masculino, Luna uerò in fœminino signo & angu-
lare alterum lumen solum extiterit, duces tantum nascuntur
uitæ necisq; domini. Si ad hæc ne laterones quidem planetæ
angulares fuerint, neq; cum angulis configurati, magni tan-
tummodo & natalium splendore conspicui, aut præfecturis,
aut exercituum ductationibus, minimè uerò ducibus illu-
stres. At si luminaria quidem in cardinibus non sint, cardina-
les tamen satellites planetæ extiterint, aut cum angulis confi-
gurati, in illustrioribus quidem dignitatibus non constituen-
tur, in ciuilibus tamen hi promotionibus, & in sui generis ui-
tæ mediocritate excellent. Si neq; stipatrices stellæ cum an-
gulis coniunguntur, obscuros homines & nullis honoribus
promouentes decernuntur. Extremæ uerò abiecti & infœli-
cibus animis nascuntur, quibus neutrum luminare in cardi-
nibus neq; in masculino signo reperitur, neq; stipatur à bene-
ficis. Hæc igitur in genere propositæ considerationis descri-
ptio, dignitatum ueluti excellentiam quandam constituit.
Mediocrates uerò constitutiones, quæ infinitæ sunt, coniecta-
re oportet de forma ipsa tum luminum, tum stipationis ipso-
rum

rum particulari uariatione, deq; satellitii dominio: Nam hoc si cōstitit circa beneficas eiudēq; conditionis stellas, maior ipsis dignitatibus authoritas & constantia accrescit. Si uerò circa contrarios aut maleficos humiliora & incertiora omnia. Futuræ dignitatis genus de stipantium astrorum peculiari natura coniecturabimus: quandoquidem Saturnus satellitii præfecturam nactus ex opum cupiditate, & reconditis diuitiis potentiam conciliat. Sed Iupiter aut Venus grata & donis, premiis & magnificentia. Mars expeditionibus uictoriis, & subditorum terrore. Mercurius intelligentia, eruditione, cura, ordineq; rerum suarum.

DE ACTIONIBVS SEV

opificio nati.



Vis uerò opificii moderationi præfideat, è duobus colligitur, sole nimirum & signo quod cœli fastigium obtinet. Videre enim oportebit apparitione matutina soli proximum, & eum qui cœli culmini conciliatur maxime quando Lunæ se applicat. Et si idem Planeta utroque iure potitur, hoc solo utendum, sic si utrunq; neuter habet, eo qui alterum habet contentum esse oportet. Si uerò unus proxime apparuerit, & alter medio cœlo aut Lunæ conciliatus sit, uterq; in consilium adhibendus est, primas tamen partes tribuemus ei, qui plura ad dominandum suffragia adeptus est, quemadmodum in prioribus diximus. At si nullus reperitur huic muneri idoneus, neq; mane apparens neq; in cœli culmine constitutus, dominum mediæ cœli accipiemus ut officium aut exercitium studiumq; nati cui uacare consuevit, quando scilicet commodum est, cognoscamus. Solent enim ex huiusmodi constitutione ociosi plerumq; prognasci. Hac igitur ratione inuestigabimus quæ nam stella actionibus opificioq; nati formando idonea sit. Quales uerò eæ futuræ sint ex propria trium stellarum Martis, Veneris & Mercurii, signorumq; in quibus uagantur natura cēfendum est. Mercurius enim opificium gubernans, efficit ut figuratim quis dixerit, scribas, grammaticos, a rationibus, doctores, mercatores, numularios, uates, astrologos, sacrificos, ac omnino in literis, & interpretatione, in datis & acceptis occupatos. Et si illi Saturnus suffragatur, alienorum bonorum

C L. P T O L. D E I V D I C.

norum moderatores, somniorum interpretes, in tēplis defidentes, ibiq; uaticiniis ueluti furore diuinitus correpti sint, uictitantes. Si iupiter, legum latores, rhetores, sophistas, cum magnatibus conuersantes.

Venus quando actiones regit efficit homines odoribus florum aut unguentorū, uino, coloribus, tinctionibus aut aromatis aliisq; id genus operā nauantes, qui uidelicet unguenta uendāt, corollas texāt, hospites recipiāt, mercatores, pharmacopolas, textores, qui aromata distrahant & pigmenta, pictores, uestiarios. Si illi Saturnus suffragatur mercatores rerum ad uoluptatem, fruitionē & ornatū pertinentiū, incātatores uerò & ueneficos, lenones & hinc uictū quæritantes. Si iupiter, athletas, uictores in certamine, honoratos, mulierum opera euēctos. Mars uerò cum Sole configuratus, ignibus operantes efficit, coquos uidelicet, fusores ustulatores, æramētarios fabros. Si sol abest, forte per ferrum operantes, ut nauū cōpactores, fabros, agricolas, lapicidas, quiq; lapideas structuras ædificent, gemarios, lignorū fissores, horum uē ministros. Et si Saturnus ipsi suffragatur nauas, & qui sentinam exantlant, cloacarum expurgatores, milites, cocos, qui balneis & lotionibus præ sint. Si iupiter milites, calones, publicanos, hospites publicos, portitores, uictimarum cæsores. Rursus si duo sunt qui actiōibus & uiuendi instituto præsideant ut Venus & Mercurius, negotiosum reddūt in cantilenis & instrumētis musicis, cōcentu, carmine. Ac potissimum cum loca sua mutuo permutant, efficiūt cytharædos, mimos, mangōes, qui organa musica fabricēt, fides tractitēt, saltatores, textores, qui ex cera imagines fundant, pictores. Si Saturnus rursus ipsis astipulatur, quos diximus, & muliebres ad hæc mūdōs distrahētes. Si iupiter causidicos, à rationibus primos, Reipub. operam nauantes, puerorū magistros, multitudini præfectos. Si Mercurius & Mars simul imperiū officiorū nanciscūtur, statuarios producant, armorū opifices, sacrorū monumentorū, fusores, luctatores, medicos, chirurgos, delatores, falsarios, maleficos, scalptores. Siq; illis Saturnus suffragatur carnifices, alienarum uestiū direptores, raptores, latrones, abigeos, malis artibus uictū quæritantes. Si iupiter industrios & agiles, uehementes, curiosos, aliena opera subeuntes & inde uictitantes. Si Venus & Mars simul officiis moderandis præficiuntur.

ficiuntur, tinctorios producant, unguentarios, qui æs, plum-
 bũ, argentũ & aurum tractitent, & fundant, agricolas, pyrri-
 cam saltantes, medicamentarios, medicos. Si illis suffraga-
 tur Saturnus, sacrorum animalium curatores, uespillones, de-
 signatores funerũ quique nœnias præcinant, diuinos, & ubi
 arcana sacrorum, luctus, & mactatiões sũt uersantes. Si Iu-
 piter, homines in sacris uersantes, augures, sacrificos, scemi-
 narum cœtui præfectos, nuptiarũ & connubiorũ interpre-
 tes, & ex his uiuentes, uoluptuarios iuxta ac temerarios, &
 proinde periculis obiectos. Conferunt etiã signorũ propriæ
 uires in quibus gubernatores actionũ & opificiorũ planetæ
 extiterint non nihil ad operatiõum officiorũq; uariationem.
 Nam humanæ figuræ signa & operationes & opificia quæ ar-
 te scientiaq; constãt & ad hoim usus instituta sunt conducunt
 Quadrupedia uerò ad res metallicas, negociationes, ædifi-
 cationes, artesq; fabriles Tropica & æquinoxialia ad res trã-
 flatitias ad interpretationes, ad rem geometricam rusticam
 ac medicã. Terrestria & aquatilia ad res aquaticas & humi-
 das, ad herbariam ac naualẽ. Amplius ad res funebres, ad sal-
 samenta, ad piscatum. Rursus si Luna locum propositũ gu-
 bernet à congressu cum Sole properans, cum Mercurio, in
 Tauro, Capricorno, & Cãcro uates facit, sacrificos, per pel-
 uim diuinãtes. In sagittario & piscibus ex mortuis uaticinan-
 tes & dæmonum prouocatores. In Virgine & Scorpiõẽ ma-
 gos, astrologos, futurorũ cõsultos, præscita edoctos. In Li-
 bra, Ariete & Leone diuinitus furore correptos, ex somniis
 coniectantes, coniuros. Hac igitur uia qualitatẽ naturamq;
 actionum exercitiorumq; ex horum commistura colligere o-
 portet. Modum uerò eorum & amplitudinem ex astrorum
 gubernatiũ ui. Nã oriëntalia cũ sunt, aut in ãgulis opificia sua
 autoritate & fama minime caritura pronũciant occidëntalia
 uerò aut à cœtris delapsa, hæc sub alterius manu imperio que-
 fore: & superata à beneficis, magna significant opera, illustria
 lucrosa, iculpabilia, uenusta. Si à maleficis superatur, uilia, ob-
 scura, minime, frugifera, utpote i quibus error cõmissus sit, im-
 pedit uerò Saturnus tarditate & tepiditate. Mars calore nimi-
 o & temeritate iportunaq; diuulgatiõe. Vterq; ob uastatio-
 nes seu euerfiões. Tẽpus augmẽti & decemẽti in genere cõ-
 iectãdũ est ex astris horũ accidentium authoribus ex eorum
 uidelicet ad orientalẽ & occidentalẽ angulum inclinatione.



Vmproximū sit his de coniugio dicere. In legitima uiri cū foemina coniunctiōe ita coniectandū est, Si de uiris agitur, ad Lunam respicimus ut affecta sit. Primum quidem quando in orientalibus quadrantibus reperitur, uiris in adolescentia matrimonium decernit, aut post ætatem statam iuuenulam dominum ducet. Si in occidentalibus, tarde contracturum matrimonium, aut tempori quidem, sed cum uetula. At si radiis oppressa est & Saturno configurata, prorsus uxorem non ducturū. Ad hæc si in signo unius figuræ aut uni alicui stellarum se applicans reperta fuerit, uno coniugio contentum, Si uerò in bicorpori signo aut multiformi, aut pluribus se in eodem signo applicans inuenitur, sæpe coniugium iterabit. Ac si planetæ applicantes aut secundum appropinquationem, aut secundum testificationem boni fuerint, bonas ducet. Si malefici, malas. Saturnus enim applicationem nactus, foeminas efficit laboriosas & tetricas. Iupiter uenerabiles, familiam gubernantes. Mars audaces, rebelles. Venus formosas, gratiosas, hilares. Mercurius sagaces & acumine præditas. Amplius Venus cum Ioue, aut Saturnus cum Mercurio, uictui queritando utiles, coniugis amantes & liberorum. Cum Marte, animosas, instabiles, uariabiles. In uxoribus uerò ipsis earumq; coniugio spectare oportet solem. Nam is repertus in quadrantibus orientalibus, significat eas uel in prima adolescentia nuptu dari, uel post ætatem consistentem cum adolescente matrimonium contrahere. In occidentalibus, tarde nubentes aut matura ætate cum seniculo contrahentes indicat. Et in signo unius formæ aut cum planeta uno matutino deprehensus, semel tantum nubentes: in multiformi uerò aut pluribus matutinis configuratus, sæpe coniugium iterantes. Ac si Saturnus hoc modo Soli configuratus sit, compositos maritos habebunt & commodos, ac industrios. Si Iupiter, uenerabiles & magnanimos. Si Mars, strenuos, à liberis & uxore alienos immorrigeros. Si Venus, iucundos & formosos. Si Mercurius uictui consulentes, & agiles. Venus autem cū Saturno, ignauos facit & in Venereis frigidos. Cum Marte, calidos, procliues ad congressum, adulteros. Cum Mercurio, liberorum amantes. Orientales quadrantes hoc loco accipimus

mus

mus, cūm de sole agimus, antecedentes & signum signiferi ascendēs, & occidens. Cūm de Luna, à noui lunio & plenilunio, eo usq; ubi Luna diuidua est. Occidentales autem his scilicet oppositos. Omnino uerò constantes & diuturni conuictus permanent, quando in utriusq; coniugis genitura luminaria contigerit configurata esse cōcorditer, hoc est, quando uel tirquetra sunt inter se ipsa, uel sexangula, maxime quando mutua huc receptio accesserit: multo magis quādo quæ uiro Luna est sceminæ Sol fuerit. Dirimuntur uerò leui occasione matrimonia aut dissident coniugum animi, cūm prædictæ luminariū conditiones uel in signis incōiunctis acciderint, uel sint ex opposito aut quadrato. Deinde si concordēs luminum, configuratiōes beneficæ stellæ aspexerint iucundos, blandos & utiles conuictus significant. Si maleficæ, contentiosos, inuerecundos, inuidos. Similiter in discordi statu luminarium beneficæ iis suffragantes, non penitus conuictum rescindunt, sed redintegrant, placant, & conseruant coniugale illud blandum & natura nobis inditā in comparem propensionem. Maleficæ non sine contumelia & execratione conuictus perturbant & demoliuntur. Siquidem Mercurius cum eis solus extiterit, uociferationibus, in properiis & accusationibus inuoluit. Si Venus adulteriis, incantationibus & his similibus. Quæ uerò alio quouis pacto contrahuntur coniugia, reiicienda sunt in utrouis genere in Veneris astrum, Martem & Saturnum. Congredientibus enim illis cum luminibus, cum familiaribus necessariis atque affinibus siue consanguineis conuictus decernuntur, prout Venus erga alterutrum, affecta est. Si enim erga Martem cum coniuge iuvene quando quidem in mutuis signorum trigonis alternatas habent altitudines: erga saturnum cum seniore, nam rursus in mutuis trigonis uicissim domos possident. Vnde Venus cum Marte plane amatorias affectiones producit, quibus si accedat Mercurii stella, non sine diuulgatione. In promiscuis & familiaribus signis Capricorno & piscibus, fratrum aut cognatorum coniugationes decernuntur. Et Luna si in uirorum genituris ad hæc accurrat, significat cum duabus sororibus aut consanguineis congressurum. Si in mulierum genitali cōstitutione Sol, duobus fratribus aut cognatis. Cum saturno rursus Venus forte reperta, omnino

O

lenes

C L. P T O L. D E I V D I C.

lenes & stabiles hos conuictus efficit, accedente uerò Mercurio utiles, concurrente Marte instabiles significantur, noxiæ nec sine mutua inuidia & emulatione. Ac si illis concorditer configuratus fuerit, cum equalibus matrimonium contracturum, si tamen orientalis ipsis fuerit, cum adolescentioribus, ac si occidentalis, cum prouectioribus. Si uerò in promiscuis signis sint Venus & Saturnus, hoc est capricornus aut libra, congressurum cum affinis. In horoscopum & cœli culmen quando dicta cōfiguratio incidit, Lunæq; concurrerit, uiros facit cum matribus, matrumue sororibus aut noue cis rem habere, scēminas cum filiis, aut filiorum fratribus aut filiarum maritis. Sol si concurrat & maxime occidentales cū sunt planetæ, mares cum filiabus rem habentes, aut filiarum sororibus, aut filiorum uxoribus, scēminas uerò cum patribus aut patruis, aut uirico. Quando prædictæ figurations in signis unius generis non extiterint, in scēminis autem locis & personis, efficiunt omnino ad Venerea accinctos & propensos, tam ad agendum quàm patiendum omniratione paratos, in quibusdam figuris etiam flagitiose obscenos, ut in partibus prioribus & posterioribus arietis & succulæ, in posterioribus Leonis, in facie Capricorni. Verum si hæc figuratio in prioribus duobus angulis inuenitur orientali nimirum & medii cœli, prorsus detegit hæc flagitia, & in publicum profert: in posterioribus duobus occidentis nimirum & imi cœli, spationes efficit & eunuchos steriles, genitalibus meatibus concretos, Mars autem accedens mares genitalibus abscissis, scēminas, quas tribades uocitant atq; omnino priuum quiddam in Venereis habentes. Quæ uerò sit hominum in congregiundo affecto & natura, in uiris, à Marte colligimus. Is enim à Venere & Saturno separatus, adiutus uerò Iouis suffragiis puros & uerecundos efficit in re Venerea explenda & naturalem tantum usum spectantes. Cum solo Saturno forte repletus pigros, frigidos. Configuratis autem Venere & Ioue agiles & cupidos, temperantes tamen & se refrenantes infamixq; fugitantes. Cum sola Venere aut Ioue absente Saturno segnes, ignauos, unde quaq; uoluptatem captantes. Et si hic quidem planeta uespertinus est, ille matutinus, natus tam marium quàm scēminarum congressu capiatur, non tamē supra modum erga utrunq; sexum affectus. Si ambo uespertini

sunt ad fœminarū solum coitus proclives fiunt atq; adeo si fœminina sunt signa, ipsi subagitabuntur. Si matutinus uterque puerorum tantum concubitu flagitantes, signa q; si fuerint masculina, in masculis ætatis discrimen nullum habentes. Ac si Venus occidentalior est, cū uilibus hominibus seruis aut alienigenis congregientes. Si Mars, cum eminentioribus se uiri, ac dominis, In fœminarum uerò genituris Venus consulenda est. Ea enim configurata Ioui aut Mercurio, prudenter pure q; Venerea tractantes, ac absente Ioue Mercurio configurata, proclives quidem & Venereorum cupidas, cautastamen, & pigriores paulo, plerunq; turpitudines fugientes. Marti soli configurata aut congressa falaces & concitatas ad Venerea, segniores si his accedat Iouis stella. Ac si Mars sub radiis extiterit, cū seruis congregientes, obscurioribus & alienigenis, Sin Venus sub radiis latuerit, cum superioribus aut dominis, meretricum aut adulterarum consuetudine miscebuntur. Si in locis aut figuris fœmininis fuerint planetæ, ad patiendum solum proclives. Si uerò masculinis, etiam ad arrigendum. Saturni stella prædictis figuratibus conciliata si & ille effœminatus fuerit, insolentis ac pudendæ libidinis autor est. Si orientalis & uirilis, uituperio & reprehensiōi ob Venerea flagitia obnoxios Iouis benigno sydere rursus, quod solet, ad decetiorē harū affectionū formā iuuante, Mercurii ad celebriorē diuulgationē & reprehensionē.

D E L I B E R I S.



Um cōiugii locū proxime sequatur liberorū : cōsiderare oportebit planetas cœli fastigio aut succedenti loco qui est boni dæmōis cōiūctos aut cōfiguratos sin minus, eos qui locis his oppositis: lunā etiā & iouē uenerē q; pro liberorū largitoribus assūere. Solē uerò, martē, & saturnū pro orbitatis autoribus. Mercuriū prout cōfiguratus fuerit illis, promiscuū: & largitorē, quādo orientalis est, recusatorē, quādo occidentalis. Largitores igitur simpliciter ita siti, solitarii, unicū prolē decernūt. In bicorporibus & fœmininis itē in fœcūdis signis uidelicet Cæcro & scorpiōe & piscibus, duas aut plures, Et dū masculini sunt ob signa masculina & ad solē cōfigurationē, marē, effemīati uerò, fœminā Superati à maleficis aut in sterilibus signis reperti puta leōe uirgīe largiūtur quidē, sed nō sat pulchre neq; cōstāter uec diuturnas proles

C L. P T O L E M A E I,

Sol autem & maleficæ obtinentes imperium in dicta loca, si in signis masculinis aut sterilibus fuerint, eisq; beneficæ suffragentur concedunt quidem, sed ualetudinarios, uitiis corporis impeditos, ac breuis ætatis. Quando utraq; conditio rationem habet ad signa prolifica, datorum liberorum reiectiones significantur, aut omnium, aut multorum, aut paucorum, pro imperio suffragantium, utrius sectæ planetarum, quos uel plures uel potentiores, uel orientaliore, uel dignioribus angulis sitos, uel elatos supra cæteros, uel succedentes angulis inuenerimus. Si igitur dictorū signorū dominatores orientales fuerint, si ad hæc in propriis locis claros & illustres liberos donant. Si occidentales, & in locis alterius sectæ, humiles, uiles & obscuros. Et si conueniunt cum horoscopo & parte fortunæ, amabiles parentibus, uenustos, gratiosos, bonis parentum hæreditario iure fruente. Si inconiuncti aut ex aduersum siti, rebelles, odiosos, noxios, nec parentum bonis succedentes. Sic quando mutuam habent inter se figurationem, concordēs donant, fraternis animis operas mutuas tradentes. Si inconiuncti sunt aut oppositi, inimicitiarum cupidos, insidiantes sibi inuicem. Quæ minutiora sunt, iterum quispiam coniectarit, usus singulorum qui liberos pollicentur astrorum horoscopo, ex reliqua colloca-tione non secus ac in genitura considerationem in genere instituens.

DE AMICIS ET INIMICIS.



Beneuolarum igitur affectionum & contrariarum, quarum has quidem medias & diuturnas appellamus amicitias seu inimicitias, illas uero minores & temporaneas, societates aut contentiones, examinatio nobis sit hæc. Quando igitur quæ ex his præcipua sunt & maxima inquirimus, obseruare oportet in utraq; genitura præcipua loca, Solis uidelicet & Lunæ, & horoscopus, partemq; fortunæ. Nam si in eadem signa inciderint, aut loca mutuo permutauerint, aut omnia aut complura: maxime quando utriusq; horoscopi 17. partibus inuicem distiterint, amicitias constituunt synceras & insolubiles, nec ullis offensionibus

sionibus expositas. Si inconiuncta sint aut mutuo opposita,
 inimicitias maximas, & diuturnas : si neutrum accidat, sed
 tantum in locis configuratis extiterint, si hexagonis, aut tri-
 gonis minorem beneuolentiam conciliant, si quadratis mi-
 nores inimicitias, ut interdū occurrant in amicitia silentium
 & simulas, quando maleficæ hæc configurationes transe-
 unt, in contentionibus reconciliationes, & beneuolentiæ ui-
 cissitudines per beneficorum ad configurationes ingressum
 Cūm amicitiarum & inimicitiarum genera tria sint, aut enim
 ex instituto & electione libera, ita in seinuicem affecti homi-
 nes sunt, aut usus necessitatisq; gratia, aut deniq; uoluptatis
 iniuriæ uel causa, quando omnia aut complura dictorum in-
 ter se mutuo familiariter conueniunt, ex omnibus his amici-
 tia speciebus conflata est, quemadmodum quando dissidēt
 odium. Quando sola luminarium loca, ex delectu libero,
 quod est beneuolentiæ genus optimum & firmissimum, si-
 cut contra, odium acerrimum & cui credere nihil oporteat.
 Sic si fortunæ sortes conueniant, usus necessitatisq; gratia
 contrahitur. Quando horoscopi, uoluptatis & contumeliæ
 Obseruare autem conuenit, locorum configuratorum sup-
 plosiones, stellarumq; ad hæc aspectus. In quibus enim geni-
 turis inciderit cōfigurationis superatio, siue in idem signum
 siue in proxime succedens illis præcipuæ partes in amicitia
 tribuendæ sunt, aut odio. In quibus uerò fuerit aspectus stel-
 larum meliorum, illis ex amicitia uberiores fructus, ex inimi-
 citia damna grauiora decernuntur. In temporaneis autem so-
 cietatibus & contentionibus animum aduertere oportebit
 ad motiōes syderum in utraq; genitura, hoc est, quibus tem-
 poribus unius genituræ astra ad loca astrorum alterius pro-
 moueant. Hoc enim modo contingunt amicitia & inimi-
 citia imbeciliores & paruales & perstare solent usq; ad separa-
 tionem ipsorum astrorum, plerunq; uerò tantisper donec a-
 lius quispiam succedentium planetarum irrumpat. Saturnus
 igitur & Iupiter subeuntes mutua loca, amicitias gignūt per
 conspirationes, aut agriculturam, aut hæreditarias successio-
 nes. Saturnus & Mars per rixas insidias, easq; ultroneas. Sa-
 turnus & Venus coniunctionem per affinitates cito labescen-
 tem & euanescentem. Saturnus & Mercurius, affinitates &
 conuictus conciliant per largitiones, munera, mercaturam,
 aut

CL. P T O L. D E I V D I C.

aut arcanorum communicationem, Iupiter uerò & Mars dignitatum & gubernationis causa: Iupiter & Venus, hominum publica munera, eaq; sacra obeuntium, cultus scilicet diuini, oraculorum & his similibus. Iupiter & Mercurius conuersationes differendi, discēdiue & philosophandi causa instituit. Mars & Venus amorum, adulteriorum aut ocii ignauigratia, instabiles tamen, & non rectissime institutas. Mars uerò & Mercurius inimicitias & uociferationes & lites, literarum & pharmacorum occasione. Venus autem & Mercurius conuictus ob artis eiusdem studium, aut canendi aut literarum communicationem, aut foeminarum causa. Magnitudinem igitur & paruitatem, intentionem & remissionem, societatum aut contentionum, ex comprehensorum locorum ad præcipua quatuor loca comparatione iudicare oportet, nam in angulis aut fortibus fortunæ, aut circa luminaria si occurrant, euidentes significant & uehementes affectiones mutuas: Sin ab his destiterint obscuras. Commoditatem uerò aut incommoditatem illis ex societate maiorem, ex astro- rum inspectatium prædicta loca ad bene maleue faciendum propensione.

D E S E R V I S.


DE seruis & eorū erga dominos aīo beneuolo aut maleuolo ex signo mali genii iudicandi modum accipimus, & ex iis qui hunc signiferi locum intuentur, tā secundum genituram ipsam, quā accessus aut oppositiones. Maxime ut gubernatores huius partis signiferi conuenienter præcipuis genituræ locis aut repugnanter configurati fuerint.

D E P E R E G R I N A T I O N E.

Væ uerò ad Peregrinationem spectant, colligimus ex luminum erga angulos statu amborum, magis uerò Luuæ. Occidens enim hæc aut ab angulis decidua, peregrinationes, locorumq; mutationes indicat. quod propemodum etiam Mars aliquando præstat siue occidens & ipse, siue ab angulo qui uertici incumbit decidens. quando luminaribus ex opposito aut quadrangulo loco situs est. Si uerò & pars fortunæ insignis peregrinandi authoribus extiterit, uitam omnem & conuersationes actionesq; uniuerſas in peregrinatione exequuntur. Benefici igitur hæc loca intuentes, eisue succedentes, honorificas præstant & lucrosas profectioes, reditusq; celeres & expeditos. Malefici contra laboriosas, damnosas & periculis obnoxias, & impeditos reditus, nusquam tamen omittere conuenit temperan-

di decreti rationem, secundum auctoritatem uniuscuiusque inspectantium, quemadmodum in prioribus disseruimus. Hæc autem a l orientalem quadrantum directis locis si luminaria reperta fuerint uersus ortum & meridiem itinera insituuntur. In occidentalem uerò aut in ipso occasu, septentrionem uersus & occidentem. Ac si unius figuræ sint quæ itineribus causam dant, signa siue illa ipsa siue gubernatores horum planetæ, rarius & non nisi quando commodum est iter significant. Si uerò duum corporum aut formarum, continuum multoq; tempore. Iupiter igitur & Venus domini cõstituti locorum & luminum quæ profectiõnem significant, non solum periculis nullis expositas, sed placidas etiam peregrinationes decernunt, aut enim à præfectis earum regionũ aut amicorũ causa legati proficiscuntur, fauet aeris cõstitutio & sine inuidi opibus affluant, his si Mercurius accedat sæpe numero propter iam dictã fœlicitatem adiumẽta & dona accumulatur. At uerò Saturnus & Mars luminaria occupãtes maxime si mutuo sibi opponãtur, inutilia hæc omnia & periculis inuoluta ingentibus: in humidis reperti signis, per difficiles nimirum nauigationes & naufragia, aut per inuia desertaq; loca. In fixis uerò per percipitia & tempestates uentorũ. In Tropicis & æquinoxialibus per inopiã rerum necessariarũ & affectã ualitudinẽ, In humanæ figuræ signis per latrocina, & insidias, & regum uiolentiã, in terrestribus per ferarũ inuasiões aut terræ cõcussiones. Mercurio accedente per ea quæ insublimi fiunt & accusatiões periculosas, a plius uerò per reptilũ aliorũq; uenenatorũ ictus Peculiaris horũ decretorũ ratio, qua utilia quoq; noxia sint, ex differentia eius quod causã dat, locorũq; causã cõpræhẽdentiũ, opificiorũ & possessiõis, ualitudinis & dignitatis, iuxta horũ quæ prima est præcipuaq; cõstitutionẽ accipiẽda est. Tẽporũ uerò quibus se maxime significatiões produnt ex figuratiõẽ incursum tẽporũ succedentiũ. Et hæc quidẽ hæctenus nobis explicata sint.

D E M O R T I S G E N E R E .

 Vm reliqua sit ex omnibus de mortis genere cõtemplatio, primum ex iis quæ de uitæ spatio docuimus, cõstare oportet: Vtrum secundum radiorum ductationem interemptio, an secundum dominantis syderis occasum accidet. Nam si iuxta radiorum ductum & occurrationem eueniat: interfectio, locum occursum in consilium adhibere pro mortis genere coniectando oportet. Si uerò iu-

xta occasum illum ipsum occasus locum. Quales enim fuerint siue ii qui dicta loca sequuntur, aut si nulli sequantur qui primi aliorum ad ea feruntur, tales nimirum è uita decessus futuros opinandum est, quorum natiuis significationibus, ut uarietatem illam euentuum complectamur, configuratorum astrorum locorumq; interemptiorum peculiare significationes coniungemus, tam pro signiferi quàm finium natura. Saturnus igitur morti præfectus, obitus efficit post diuturnos morbos & tabes, & humorum defluxus, & febres, per lyenis aquæ intercutis, colicas, uteriue affectiones & quotquot ex frigoris multitudine constant. Iupiter uerò ab angina & peripneumonia, apoplexia, & conuulsionibus capitiscq; doloribus & stomachi, & quotquot à pulmonis peruersa cõstitutione proueniunt. Mars à febris continuis & tertianis, & repentinis plagis & renum affectionibus, sanguinisq; excretionibus & defluxu, abortionibus & partu, sacro igne & pestilentibus morbis, quicq; per inflàmationem & feruorem eueniunt. Venus per stomachi, & hepatis affectiones, impetigines & dysenteriam mortem infert. Amplius uerò per hucera, pustulas & fistulas & adhibita pharmaca, ac deniq; quotquot humore nimium increfcente aut corrupto nascuntur. Mercurius per insaniam & amentiam & ex atræ bilis copia proficiscentes lapsus, perque comitiales morbos & tusses & crebras expuitiones, & quotquot siccitate copiosa & corrupta constant. Miti igitur hoc moriendi genere è uita discedimus, cum mortis authores in propriis domesticisue naturæ suæ conuenientibus locis reperiuntur, à nullo superati qui maligniorem illustrioremq; exitum reddere posset. Violenta uerò & conspicua morte decedimus, cum aut uterque maleficus imperat interemptorio loco aut per cõgressum aut per radios quadrangulos oppositosue, aut alteruter eorum amboue solem aut Lunam aut utrumq; luminare maleficio affecerint: ubi mortis quidem maliciam ab eorum congressu constitui putabimus. Magnitudinem uerò à luminum testificatione. Genus uerò rursus ab astrorum reliquorum intuitu, & signis quæ à maleficis occupantur. Enim uerò Saturnus Solem quadrangularibus radiis præter conditionem ferrens, in fixis quidem à multitudine obrutos, aut strangulatos suffocatosue curat, ita si occidat Lunæq; succedat. In fer-

ralibus

ralibus uerò signis, à feris interimendos, ac si Iupiter suffragetur & ipse maleficio imbutus, in locis publicis aut celebribus, interdum ad bestias damnatos. In occasu utrius luminarum oppositus, in carceribus uitam finientes. Configuratus Mercurio, potissimè si id circa serpentes qui in sphaera sunt aut terrestria signa eueniat, à morfu uenatorum morientes, his uerò si Venus accedat ueneficiis & foeminarum dolis. Quod si in Virgine & Piscibus aut aquaticis signis Lunæ configuratur in aquis suffocandos, circa Argo nauem etiam naufragiis succumbentes. In Tropicis Soli congregiendi, aut oppositus, aut Marti uice Solis à ruina oppressos, quod si cæli medium obtineat, ab alto præcipitandos. Martis uerò stella Soli præter conditionem aut Lunæ infensa tetragonis oppositæ radiis, in signis humanæ figuræ in seditionibus aut bellis interficiendos tradit, aut sibi ipsi qui manus inferant: foeminarum uerò opera interimendos, quando Venus illi testificatur. Quando uerò Mercurius, à piratis aut latronibus, aut maleficis hominibus. In mutilatis & imperfectis signis, aut circa caput Medusæ, decollandos aut mutilandos. In Scorpione & Centauro uisionibus sectionibusue, aut medicorum reuulsionibus è uita decessuros significant. In cæli medio in uicibus affigendos maxime circa Cephæum & Andromedam. In occasu horoscopo oppositus uiuos comburendos, in quadrupedibus uerò ruina aut distractione uitam cum morte commutantes. Quod si & hic Iupiter testificetur simul prauitatem indutus, illustri rursus mortis genere decedunt, condemnatione nimirum & ira principum ac regum. Coniuncti uerò mutuo malefici atque ita oppositi in aliqua dictarum constitutionum, plus faciunt ad mortis malitiam, quæ cuiusmodi potissimum euasura sit ex principe interemptorii loci gubernatore cognoscitur multis concurrentibus & in genere & in magnitudine acerbioribus. quando uterque ad interfectoria loca rationem aliquam habet. Tales uerò etiam sepultura orbati deseruntur absunt autem à feris aut auibus, quando in signis eiusmodi figurarum malefici reperiuntur, nec ullus beneficus supra terram existit qui interemptricibus locis occurrat. Peregrè moriuntur, quorum interemptricia loca occupantes planetæ ab angulis ceciderint, maxime cum Luna etiam accurrat, aut tetragonis oppositæ radiis dicta loca intuetur.

CL. P T O L. D E I V D I C.
D E T E M P O R V M D I V I S I O N E.



Narrata à nobis summatim in singulis generibus contemplandi ratione, ad eas usq; tatum quæ sicut in initio proposuimus uniuersaliũ partium sunt tractationes. Reliquum sanè fuerit ad eundem modum quæ etiam in temporibus distinguendis uidere oportet, adicere, idq; & naturæ consentaneè, & nostræ particulari quam proposuimus explicationi. Omnino igitur in uniuersis geniturarũ capitibus propositum nobis est prius quoddam & antiquius, ueluti fatum, aut ipsi regioni peculiare, cui reliqua quæ in genituris singulati explorantur subiacere oportet: quemadmodum quæ ad corporis formam & animorũ constitutiones attinent, morum item & cõsuetudinum dissidentia. Itaq; par est naturæ obsequentem iudicem primas ubiq; potioresq; causas comprehendere, ut ne quemadmodum in genituris præfari solent Aethiopem, uerbi gratia, cãdidum aut leuibus capillis: Germanum uerò aut Gallum nigrum faciat & crispum. Aut hos quidem mites & literarũ artium studiosos, Græcos uerò immanes & ineruditos, neue contra mores ac leges Italo decernat fororis matrimoniũ, cùm hoc apud Aegyptios, aut Aegyptio matris, cùm apud Persas fas sit. Prorsus igitur præponere oportet uniuersalis fati rationem: deinde singula aucta minutaue accommodare. Ita quoq; in temporibus partiendis, ætatum in uno quoq; decreto quid cuiq; conueniat, prima ratio habenda est, ne ex uulgari & simplici exploratione per inscitiam prædicemus puero nuptias uirilesue operationes, aut decrepito seni liberorum procreationem, aut hisce iuueniliora, sed in uniuersum quæ de temporum partitione tradentur, pro ut ætas postulare uidebitur, interpretabimur. Est enim accessus unus, idemq; in omnibus ad ea quæ pro temporis uicissitudine uniuscuiusq; naturæ humanæ conueniunt, qui ex similitudine & ordine accipitur septem stellarũ errantium, initio sumpto à prima ætate & à uicinissimo nobis orbe, nimirum Lunæ, ut extrema in ultimum desinãt quem Saturni nominamus. Ac re uera naturam respondentis sibi erronis affectionemq; unaquæq; ætas refert quæ obseruare conuenit, ut inde

de summariam temporum constitutionem colligamus, ac singularia deinceps discrimina ex geniturarum peculiaribus decretis inueniamus. Nā ad primores ferè quatuor annos pro sui quadriennii numero, infantilem ætatem Luna gubernās efficit in illa corpusculi humiditatē & imbecillitatem, itemq; subita incrementa, alimonix liquiditatem, ualetudinis incōstantiam, & in mente inchoata & inemēdata omnia quæ singula respondent iis, quæ Lunares effectiones censentur. Proximum decennium quo puerilis ætas comprehenditur moderatur qui proximum Lunæ orbem obtinet Mercurius pro uiginti annorum suorum dimidiato numero, incipit animum ad intelligentiam rationemq; componere, ac ueluti fingere, disciplinarumq; semina & elementa inserere, morum studiorumq; peculiare cōditiones patefacere, animosq; doctrina & institutione primisq; exercitiis excitare. Veneris uero stella adolescentem tertiamq; ætatem sortita sequenti octennio, quod illi iuxta circuitus sui spatium tribuitur, seminales meatus mouere incipit ac implere & ad Venereos congressus stimulare, quo maxime tempore infania quadam & intemperantia agitantur, miseroq; cupidine effruescunt, & in errore ac cæcitate apertis etiā oculis uersantur. Quartam ætatem & mediam iuuenilem uidelicet gubernans, medii orbis dominus Sol, annis undeuiginti, dominium sui que iuris usum animo concedit, rei etiam familiaris & existimationis cupiditatem iniicit, ut & uitæ suæ modum habere desyderet & puerili uanitate & inconstantia, peccatisq; amotis, sese ad iuris, pudoris & honestatis amorem recipere. Post Solem Mars uirilem ætatem sibi uendicat, quintus scilicet, pro circuitus sui spatio annis quinque & decem, hic uitæ tristitiam & malitiam adducit, curis ac doloribus animum simul & corpus afficit, sensum nimirum iam instillans & cogitationem ætatis deflorescentis, & instigās ad memorabile aliquod inceptorum operum ante obitum laboriose perficiendum. Iupiter deinceps senilem ætatem nactus iuxta peculiarem circuitus rationem annis duodecim, laboriosum illud & turbulentum ac periculis expositum uiuendi genus declinare paulatim iubet, & decentius, officiosius, quietiusque capeffere. Amplius nihil præcipanter agere, alios admonere & consolari, honoris tunc maxime & laudis & liberalitatis studio-

C L. P T O L. D E I V D I C.

fos esse cum pudore & grauitate. Extrema uerò Saturni stella extremam & cōfectam ætatem sortita est usq; ad id quod superest uitæ cum refrixerunt ac impeditæ sunt corporis animiq; motiones ac uires, & in concitatoribus cupiditatibus & uoluptatibus natura languida neruis destituitur, uita iam conuulsa, misera & infirma exposita offensis & ad omnes morosa promotus ac uirium ignauia. Sint igitur hæ temporum singulares inclinatioes iuxta naturæ generalem & communem statum in hunc modum expositæ: particulares uerò ex genitura inquisitiones, quemadmodum prius proposuimus, iterum ac summam à præcipuis progressionibus constituemus, idq; ab omnibus, non ueluti in uitæ spatio perquirendo, ab una tantum, sed ab horoscopo pro iis quæ corpori eueniunt & profectioibus, à fortunæ sorte pro possessionibus, à Luna, pro animi morbis & coniugio, à Sole pro dignitate & gloria. A cœli fastigio ad reliquas & partiliores uitæ rationes, nimirum actiones, amicitias, liberorum procreationes cognoscendas. Hoc sanè pacto iisdem temporibus non idem erit beneficus horum dominus: cum multa ferè eueniant sub iisdem temporibus contraria, ut si cui morte necessarii hæreditas accrescat, aut aliquis lecto decumbens dignitatem consequatur & promotionem, aut priuatus liberos suscipiat, quæq; eiusmodi accidere solent. Neque enim eadem est ratio corporis & animi, fortunarum & dignitatis & familiarium bonorum aut malorum, ut necesse sit ex omni parte fœlicem aliquem aut infœlicem esse. Sed acciderit fortasse & illud, quo tempore plane beati aut calamitosi sumus, quando in omnibus aut pluribus apheticis moderationibus conueniunt occurrationes beneficorum omnino, aut contra maleficorum, id quod raro usu uenit propter humanæ naturæ imbecillitatem ad extrema utraque perferenda: quam ita comparatam esse apparet, ut temperaturam postulet bonorum & malorū. Loca igitur aphectica ad hunc modum discernimus. Occursantes uerò non solum interemptores quemadmodum ubi de uitæ spatio quaeritur, sed uniuersos accipere oportet, atq; ita nō corpore tantum aut radiis oppositis quadrangularibusue obuiantes, uerum

rum.

rum etiam trinis ac sextilibus. Ac primum sanè tempus in singulis moderationibus illi dabitur qui Apheticum locum corpore occupat uel radiis. Quòd si nullus fuerit, asciscemus proximè antecedentem ad eum usque qui proximè succedentem aspicit partem, deinde hoc utemur usque ad proximum, atque in aliis similiter, assumentes in gubernandi communicationem terminorum dominos planetas. Atque iterum partibus interiectis annos tribuimus secundum eam quæ ab ascendente sumitur moderationem tot uidelicet quot sunt eius regionis ascensionum tempora. A cœli medio, quot sunt tempora cœli culminationum, à reliquis uerò pro ratione propinquitatis ad angulos, ascensionum aut descensionum, culminationum uè tempora accipimus sicut cum de uitæ spatio ageremus, definiuimus. Hunc igitur ad modum generales temporum arbitros creabimus, annuos uerò reiicientes annorum multitudinem ab ineunte ætate à singulis Apheticis locis iuxta ordinem signorū singulorum eum assumentes qui signo dominatur, in quo substiteremus, Id ipsum in mensibus præstabimus abiicientes iterum à mense natali præteritorum mensium numerum à locis annui domini secundum ordinem signorum, dies uiginti octo. Ita dies etiam à natali abiiciemus à mensuris locis pro uno signo dies duos & trientem. Respiciendum etiam est ad ingressus in præcipua potissimum loca, neque enim parum momenti habent in temporum decretis, maxime Saturni generalium, Iouis annuorum, Martis & Solis, Veneris & Mercurii, menstruorum, Lunæ diurnorum. Ac quemadmodum generalium temporum arbitri potiores sunt ad decretum absoluendum, ita particularium conducunt aut reluctantur, pro conuenientia & aduersitate naturæ suæ, transitus uerò augmenta & decrementa euentuum adducunt. Nam summariam qualitatis rationem & temporum prorogationem Apheticus locus & generalium temporum arbiter, unà cum finium domino designat, eò quòd familiare est unumquodque sydyus iis in genitura locis quorū ab initio gubernatione sortitū est. Sed bono ne sint an malo ex eorū qui temporibus præsunt naturali & mista propensione ad bene malèue facien-

CL. P T O L. D E I V D I C.

faciendum colligitur, & eorum familiaritate aut inimicitia, quam ab initio susceperunt. Quibus uerò temporibus magis elucescet decreti uis significatur ab annuorū & mensurorum signorum cum obnoxiiis locis configuratione, & secundum ingressus astrorum & Solis Lunæq; radiationes ad annua & menstrua signa. Nam si cōuenienter se habent cum locis affectis ab initio in genitura accepto, & secundum inambulationes conuenienter illis configurātur pro re proposita bonum. Si inconuenienter & præter conditionem opposita quidem aut quadrangula figura in transitibus malorum authores sunt, aliter uerò configurata non ita. Ac si iidem & temporum & introituum domini fuerint planetæ illustris fit & minime mediocris decreti natura, siue illud bono siue malo fuerit. Multo uerò magis cū non solum temporis quod gubernāt nomine causarū generi præfunt, uerūetiam ab initio secundum genituram. Omnino uerò beati aut miseri sunt quibus uel unus locus ab omnibus aut pluribus aphesibus occupatur, aut si hæ differant, eadem tempora omnes plurimasue obuiationes similiter beneficas aut maleficas complexa sunt. Hic igitur nobis est temporum contemplandorum modus, genera uerò decretorum suis temporibus euenientium congerere hoc loco omittemus, ob illum quem nobis scopum proposuimus cum astrorum efficientia generatim perspecta, partioribus euentibus accommodari iusta ratione possit, si Mathematici causam eruditè cum ea quæ extemperatura nascitur, comparemus.

Finis libri quarti.

Antonius Gogaua graui

EN. LECTORIB. S.



Ratam uobis operam nostram esse cupio, quam his libellis emendandis & in lucem ædendis nauauimus, quod proculdubio futurum auguror, si (quod his in rebus scitis esse necessarium) penitus introspicere non pigebit. Auctorum nomina ascribere non potuimus, cum neutrum in exemplari, quod unicum apud nos est reperiatur. Suspiciabantur quidam Rogerii Bachonis esse, quod illum hac de re scripsisse constet: sed compluribus argumentis non esse constat. Nam Rogerius posterioris libelli autorem sæpenumero citat titulo auctoris de Speculo comburenti, id quod uidere licet in libro eius De multiplicatione specierum, & in uerbosa illa epistola ad Clementem Pontificem Maximum paulo post medium librum, ubi quædam ex Opticis rudimentis repetit. Amplius in libris tribus de Perspectiua. Adde quod in omnibus Rogerii libris ne ue stigium quidem apparet eruditi istius Geometrarum pulueris & Mathematici acuminis, quorum aliquid in his libellis agnoscere licet. Quæcunq; enim in Optica disciplina ædedit aliq; eius libri pene omnes, partim ad me, partim ad amicos nostros peruenerunt. Vnde constare arbitror in neutro Rogerium profiteri nomen suum posse. Posterioris libelli auctor uetustissimus est, & inter primos qui hac de re literis aliquid mandauere, sicut ex præfatione illius colligitur. Porro stylus prorsus Arabicum quiddam sonat, ut putem hinc ad nos translatum, à quo desumptas propositiones Vitellio in opus suum contulit. Prioris recentior esse uidetur, quiq; Rogerii ætate uixerit: nimirum circa annum M. C. C. LXX. quo tempore & Vitellio ingens illud opus ædedit de Perspectiua: ac sane apparet tunc ex Mathematicis rebus Opticam frequenti usu fuisse. Est enim ut aliarum rerum, ita horum quoq; studiorum uicissitudo quædam. Quantum uerò momenti adferant quæ hic traduntur, satis ipsa res loquetur.


Quam

CL. P T O L. D E I V D I C.

Quamdiu enim non extant publicè Apollonii elementa Conica, prorsus fieri nequit ut his demonstrationibus in Optica maxime disciplina carere sine dispendio possimus, ut in Vitellionis libro nono propositione 39. & sequentibus. Nos ex exemplari mendoso descriptos emendauimus, quæ deerant suppleuimus: Valete.

Louanii Anno 1548.

P R A E F A T I O A V C T O R I S.

 Vm uiderem omnes qui in Perspectiua aliquid scripserunt, ubi de Speculis ad certam distantiam comburentibus disputant, duas conclusiones ab Apollonio Pergæo allegatas præsupponere, quibus reliqua omnia innituntur, adeo ut etiam ipse Vitellio, cum peculiarem librum præmittat, ubi omnes propositiones illi necessarias, omniaq; lemmata quibus post utitur demonstrat, ut opus uniuersum seipso contentum esset, prædictas tamen conclusiones supponat tanquam necessarias, minime uerò demonstrat: nulla inquirendi defatigatione reiectus fui, quin ad ueram intelligentiam unius earum, ac tandem ad utriusq; cognitionem per demonstrationem peruenirem.


Ne igitur hoc labore meo mihi soli profuisse uidear, decreui cogitationes has meas mandare literis, earumq; interuentu ac aliorum quæ subnectam Speculum ustorium ad quantalibet distantiam qua ratione fabricandū sit demonstrare.

Primum uerò à definitionibus exordiamur.


Definitiones.



Pyramis rotunda est transitus trianguli re-
ctanguli, altero suorum laterum rectū an-
gulum continentium fixo, & triangulo ipso
donec ad locum unde moueri cepit, rede-
at circumducto. Si tunc latus fixum lateri
circumducto fuerit æquale, erit pyramis rectangula. Si uerò
longius acutangula. Et si breuius obtusangula. Hoc satis
patet in principio undecimi elementorum Euclidis,



In omni rotunda pyramide Orthogona secta per superfi-
ciem planā non transeuntem per caput pyramidis nec æque
distantem basi differentia cōmunis dictæ superficiei & di-
ctæ pyramidi uocatur sectio, quam continet linea, Arabice




dicta muniani. Hæc descriptio
ab Apollonio
allegatur. Quā
do secatur pyra-
mis rotunda &
rectangula dua-
bus superficie-
bus planis, qua-
rum una per caput & per centrum basis transit, secans pyra-
midem secundum triangulum, ut infra patebit, & altera non
transit per caput, imo secat eam cum superficie quam conti-
net linea muniani iuxta descriptionem præmissam, sic quòd

Q una


D E S E C T I O N .

una dictarum superficierum planarum secantium stet super alteram secundum rectos angulos, tunc linea recta quæ est differentia communis dictis duabus superficiebus secantibus necessario uel secabit unum duorum laterum trianguli & æque distabit alteri, & tunc uocatur sectio parabola, uel secabit unum latus trianguli & cõcurrent cum altero latere in infinitum


PARABOLA.



HYPERBOLE.



ELLIPSIS.



protracto, quod cõtingere potest dupliciter, uel ex parte conij, & tunc sectio quam continet linea muniani, uocatur sectio addita siue hyperbola, uel secabit ex parte basis intra uel extra, & tunc si non sit circulus uocatur sectio diminuta, siue Ellipsis.

Iterum dicta linea quæ est differentia cõis dictis superficiebus, quarum altera est sectio parabola uocatur axis, siue sagitta parabolæ, cuius extremitas uersus conum pyramidis, uocatur caput sectionis parabolæ, & caput lineæ muniani.

Et omnes lineæ protractæ orthogonaliter super dictam sagittam, ab

P A R A B O L A.

ab uno latere lineæ muniani, usque ad alterum eius latus erunt mutuo æquedistantes, & diuiduntur per dictam sagittam in duo æqualia, & uocantur singulæ lineæ sic protractæ, lineæ ordinis illius sagittæ. Omnes isti termini ab Apollonio sumuntur. Et licet triplex sectio inter sectiones non transeuntes per caput pyramidis describatur, non tamen eis hoc loco indigebimus, nisi sectione parabola, ut patebit. Licet in sectione parabola, quæcunq; linea possit uocari basis recta seu latus rectum sectionis parabolæ, interceptæ inter dictam lineam ordinis & caput sectionis: Non tamen ab Apollonio sic uocatur, sed quæ sic describitur. Sectionis parabolæ cuius tantum descenderit sagitta à capite sectionis quousq; ex parte basis cum axe pyramidis concurrerit linea ordinis transiens per punctum medium dictæ sagittæ uocatur latus erectum illius sectionis parabolæ quantumcunq; illa sectio ex parte basis longa fuerit siue curta. Vnde patet ex hoc de omni sectione parabolæ, quòd illa sectio quæcunq; eius pars intercepta inter aliquam lineam ordinis & caput sectionis, ac inter partes lineæ muniani, singulæ tales partes sunt sectiones parabolæ, & omnes tales idem obtinent latus erectum. Et erit illud latus erectum necessario duplum ad sagittam sectionis parabolæ protensam à capite illius sectionis, quousq; concurrat cum axe pyramidis, ut in quarta conclusione Deo fauente, probabitur. Istis quatuor descriptionibus præmissis, sequuntur conclusiones.

P R O P O S I T I O P R I M A


IN omni rotunda pyramide orthogona secta in duo æqualia cum superficie plana transeunte per caput pyramidis & centrum basis, differentia coispyramidi & dictæ superficie secanti, erit triangulus rectilineus, cuius basis erit dyiameter, basis pyramidis ita sectæ.

Ista conclusio statim se offert intellectui ex prima scilicet descriptione pyramidis per triangulum circumductum. Et sic patet ueritas illius quod descriptio tertia supponit, & uocatur latera dicti trianguli hypotenusæ pyramidis, ut per primam conclusionem de curuis superficiebus patet.

D E S E C T I O N .

PROPOSITIO SECVNDA.

Inium duorum pñctorum in superficie pyramidis rotundæ existentium, linea recta inter duo puncta protracta, si in infinitum protensa non tãgat conum pyramidis, tunc dicta linea uadet necessario intra pyramidẽ.



Sint in pyramide a b c duo puncta d e, inter quæ ducatur linea d e quæ ulterius, quantũcunque protensa non trãseat per conum pyramidis: dico lineã d e ingredi pyramidem. Protraham a cono a per duo puncta d & e duas lineas rectas usque ad circumferentiam basis, quæ sunt a d b, a e c, & coniungam c & b per lineam rectam, quæ necessario secabit circumulum per secũdã tertii euclidis. Triangulus ergo a b c, secat pyramidem, sed in eo est linea d e, igitur ipsa est intra pyra-


midem, cùm totus iste triangulus sit intra pyramidem. Hoc etiam patet signata f in linea d e, & protracta linea a f usque quo occurrat c b in puncto g. Hæc enim linea tota est intra pyramidem, quare & linea d e est intra pyramidem.

PROPOSITIO TERTIA.

In omni orthogona rotunda pyramide secta superficie plana æque distanti basi, sectio communis curuæ superficiei pyramidis & superficiei secanti, erit linea continens circumulum, cuius centrum erit in axe pyramidis

Sic

P A R A B O L A




Sit pyramis rotunda $a b c$,
 cuius basis centrum sit d , &
 axis pyramidis $a d$, seceturq;
 superficie æque distanti basi.
 quæ faciet in superficie pyra-
 midis lineam curuam per præ-
 cedentem, quæ sit linea $e f$ di-
 co quòd linea $e f$ erit circumfe-
 rentia circuli, & eius centrum
 est super axem pyramidis. si-
 gnentur enim in linea $e f$ duo
 puncta e & f ubicunq;, per quæ
 ab a cono ad circumferentiam
 basis. ducantur lineæ $a e b$, $a f c$
 aut axis $a d$ ibit per centrum su-
 perficie planæ secantis, & sic ha-
 betur propositū: aut non, tunc
 signetur g punctus & ductis $g e$
 & $g f$ & $d b$ & $d c$ lineis, erit
 per 4. sexti proportio $d b$ ad $e g$
 sicut $d c$ ad $f g$, sed $b d$ & $c d$
 sunt æquales, quia semidiame-
 ter basis, igitur $e g$ & $f g$ erunt æ-
 quales. Et similiter probabitur
 de quibuslibet aliis lineis pro-
 tractis à puncto g ad lineam cur-
 uam $e f$, ergo per 9. tertii Eu-
 cl. $e f$ est linea continens circu-
 lum, & centrū eius est punctus
 g , quod erat probandum.

PROPOSITIO III.

In omni sectione parabola latus erectum duplum est
 ad sagittam: idq; latus erectum ad omnem perpen-
 dicularem exeuntem à sagitta usq; ad curuum latus
 sectionis se habebit, sicut illa perpendicularis se habet ad par-
 tem sagittæ interceptam inter dictam perpendicularem & ca-
 put propositæ sectionis,

D E S E C T I O N .



In pyramide a d b secta sectione parabolæ, sectio parabolæ sit p c f, cuius sagitta f o concurrat in puncto o cum axe pyramidis a o, Per h medium sagittæ transeat linea ordinis p g h g orthogonalis super sagittam, quæ quidem linea ordinis uocatur latus erectum dictæ sectionis per quartam descriptionem, dico quòd linea p g est dupla ad sagittam f o, & quòd p g se habet ad perpendic. m n ex euntē à sagitta ad latus curuum sectionis, sicut eadem perpendicularis m n se habet ad m f partem sagittæ interceptā interdictam perpendicularem & caput sectionis. Secet triangulus a d b propositam pyramidem in duo media transiens per caput eius & per eius centrum: sic quòd iste triangulus stet super sectionem parabolæ secundum angulos rectos, prout uult tertia descriptio. Cùm igitur in proposito linea p g necessario stabit perpendiculariter super dictum triagulum imaginabor circulū transisse per puncta g & d, diidentem pyramidem æquedistanter basi pyramidis, cuius diameter sit k h l, ergo quadratum lineæ h g erit æquale quadrangulo, quòd fit per k h m h l per trigessimā 3. & octauam sexti Euclidis. Cùm ergo quadratum o c lineæ quæ est semidia, basis pyramidis erecta or-
tho-

P A R A B O L A.

thogonaliter super diametrum $b d$ resultet eadem ratione ex ductu $b o$ in $o d$, & lineæ $h l$ & $o d$ sint æquales per trigessimam quartam primi: ergo quadratum $o c$ fit ex ductu $h l$ in $b o$ & quia quadratum $g h$ resultat ex $h l$ in $k h$ productorum autem & producentium eadem est propositio, ut elici potest ex prima sexti in quantitatibus continuis erit proportio $b o$ ad $k h$, sicut quadrati $o c$ ad quadratum $h g$, sed $b o$ ad $k h$ est, sicut $f o$ ad $f h$ ex quarta sexti, ergo proportio quadrati $o c$ ad quadratum $h g$ est, sicut proportio $f o$ ad $f h$. Et consimiliter potest probari de omnibus duabus perpendicularibus exeuntibus à duobus punctis sagittæ usque ad latus curvum figuræ parabolæ, quod linea sagittæ intercepta, inter perpendicularem remotiorem & uerticem figuræ parabolæ se habet ad lineam sagittæ interceptam inter perpendicularem propinquiorem uertici, sicut quadratum perpendiculis remotioris ad quadratum perpendiculis propinquieris. Cùm igitur ex præmissis $o f$ ad $h f$ sit sicut quadratum $o c$ ad quadratum $h g$. $o f$ autem est dupla ad $h f$ ex hypothesi, ergo quadratum lineæ $o c$ erit duplum ad quadratum lineæ $g h$, igitur per correlarium decimæ septimæ sexti $o c$ se habet ad $h g$ in medietate duplæ proportionis, $o c$ autem & $o d$ sunt æquales, cùm sint semid. eiusdem circuli, igitur $o d$ ad $h g$ se habet in medietate duplæ. Similiter $a d$ se habet ad $o d$ in medietate duplæ, per quadragessimam sextam primi, & correlarium 17. sexti. ergo $a d$ est dupla ad $h g$. Sed & eadem $a d$ est dupla ad $f o$, eo quod $a d$ ad $f o$ sicut $b d$ ad $b o$ per quartam sexti, & $b d$ dupla ad $b o$, quare per septimam quinti $h g$ & $f o$ sunt æquales. $p g$ autem est dupla ad $h g$, ergo $p g$ est dupla ad $f o$. Pater igitur prima pars conclusionis propositæ, cùm $p g$ sit latus erectum sectionis, & $f o$ eius sagitta. Et ex consequenti sequitur quod latus erectum sectionis necessario sit quadruplum ad medietatem sagittæ, scilicet $p g$ quadrupla, sit ad $f h$. Nunc ad secundam partem conclusionis probandam, scilicet quod $p g$ latus erectum sectionis se habet ad perpendicularem $m n$, sicut $m n$ se habet ad $m f$, describo circulum transeuntem per puncta m & n diidentem pyramidem æquidistantem basi. Cuius diameter sit linea $r m s$. Cùm igitur $m s$ & $h l$ per trigessimam tertiam primi euclidis sint æquales, & ex ductu $m s$ in $r m$, fiat quadratum lineæ $m n$, atque $p h l$ æ-

qual

D E S E C T I O N.

æquali in $sin kh$, fiat quadratum lineæ hg , ergo ut supra eadem est proportio kh ad rm quæ quadrati lineæ hg ad quadratum lineæ mn . kh autem ad rm est sicut fh ad fm . quare fh ad fm sicut quadratū lineæ hg ad quadratum lineæ mn . & si sic, ergo per 15. quinti, eadem est proportio pg quadruple ad fh , ut ostensum est, ad fm , sicut quadrati pg quadrupli ad quadratum hg , per correlarium 17. sexti, ad quadratū lineæ mn , cū per idem correlarium proportio quadrati pg ad quadratum mn sit dupla ad proportionem lineæ pg ad lineam mn . Per propositionem 11. quinti ergo proportio lineæ pg ad lineam fm est dupla ad proportionem lineæ pg ad lineam mn . quare mn est medio loco proportionalis inter pg & fm . Eadem est igitur proportio lineæ pg , quæ est latus erectum sectionis, ad lineam mn perpendicularem, quæ est eiusdem mn ad fm . Quæ erat secunda pars conclusionis probanda. Patet ergo conclusio secundum utramque sui partem, cuius secunda pars fuit conclusio Apollonii una. Pro probatione uerò alterius sunt aliquæ præambulæ conclusiones præmittendæ.

PROPOSITIO QUINTA.

Rotracta in sectione parabolæ quæcuncq; lineæ ordinis inter latus eius erectum & caput sectionis, descriptoque circulo transeunte per caput sectionis & per extremitates dictæ lineæ ordinis, centrum circuli sic descripti erit necessario in sagitta, insuper & diametri eius transeuntis per caput sectionis & per centrum dicti circuli sic descripti pars intercepta inter dictam lineam ordinis & circumferentiam circuli ex parte basis pyramidis, erit necessario æqualis erecto lateri sectionis.


Quòd enim circulus possit per tria puncta protrahi, patet per doctrinam 5. quarti, & quòd centrum necessario erit in sagitta, liquere potest ex correlario 1. tertii. Et quòd pars diametri circuli sic protracti intercepta inter uerticē & perpendicularem, quæ est medietas protractæ lineæ ordinis, se habet ad illam perpendicularē, sicut ipsa perpendicularis ad residuū diametri patet per 8. sexti, sed per præcedentem pars diametri inter f & inter perpendicularem se habet ad perpendicularem

P A R A B O L A.

cularem, sic ipsa perpendicularis se habet ad latus erectum sectionis parabolæ, ergo latus erectum & pars diametri ante dicta scilicet intercepta inter perpendicularem & circumferentiam à parte basis pyramidis mutuo sunt æquales.

P R O P O S I T I O V I.

IN sectione parabola: protracta eius sagitta ex parte utriusq; extremi, quantumlibet signat, linea recta dictam sectionem in aliquo puncto extrinseco lateris sui curui contingente. Protracta quousq; ex parte capitis concurrat cum sagitta, si à puncto contingentia descendit duæ lineæ usque ad sagittam, quarum altera sit perpendicularis super sagittam, & altera perpendiculariter exeat à linea contingentia, tunc eadem erit proportio lateris erecti sectionis ad partem sagittæ interceptam inter extrema dictarum perpendicularium, sicut partis sagittæ quæ intercipitur inter perpendicularem propinquorem capiti & punctum cõkursus lineæ cõtingentia cum sagitta ad partem sagittæ interceptam inter eandem perpendicularem, & uerticem sectionis.



Sit sectio parabola a b c super cuius sagittam a f descendat perpendicularis d e, & in puncto d, sectionem cõtingat linea recta d g, quæ concurrat cum sagitta

R gitta

D E S E C T I O N.

gitta ulterius protracta in g, & à puncto d exeat perpendicularis super sagittam quæ sit d e, & ex eodem puncto eleuetur perpendicularis super contingentem d g quæ concurrat cum sagitta in h, dico quòd latus erectum sectionis se habeat ad h e sicut e g se habet ad e a. Nam angulus g d h est re-ctus, à quo descendit perpendicularis d e super basim trianguli, ergo per 8. sexti h e ad e d sicut e d ad e g, sed per ante præmissam, latus erectum sectionis ad e d sicut e d ad e a, igitur quadratum d e tam resultat ex ductu lateris erecti in e a, quàm ex ductu h e in e g: igitur per 16. sexti latus erectum se habet ad h e, sicut e g ad e a quod fuit propositum.

P R O P O S I T I O V I I.



Vamcunq; sectionem parabolæ linea recta contigerit quæ linea sic contingens protrahatur usquequo ex parte capitis concurrat cum sagitta ulterius quantumlibet protensa, & à puncto cõtractus descendat perpendicularis super sagittam, tunc pars sagittæ intercepta inter dictam perpendicularem & caput sectionis, atq; linea intercepta inter idem caput & punctum cursus lineæ contactus cū sagitta sic ultra protracta, necessario erunt æquales. Sit ut prius sectio parabolæ a b c quam in puncto d contingat linea g d protensa usquequo concurrat cum sagitta f a continuata in puncto g, & perpendicularis exiens à d super f a sit d e, dico quod a g & e a sunt æquales. Est enim vera eius conueria, si a g & e a sunt æquales, linea g d transiens per punctum d, contingit sectionem in d puncto. Quia si non, tunc secabit sectionem per conclusionem secundam huius: uel ergo inter d & a uel inter d & basim sectionis. Non inter d & a, quia sit k per aduersarium talis punctus & ducatur k l perpendiculariter super sagittam, quia igitur g a & a e ex hypothesi sunt æquales, quare g a maior quàm a l, sit excessus ergo g m, unde g m & l e erunt æquales, atq; a l & a m æquales: & per consequens m l dupla ad a l. Sed ut patuit ex probatione quartæ conclusionis e a ad a l, proportio est dupla ad proportionem e d ad k l: & sicut e d ad l k, ita ex 4. sexti e g ad l g, igitur e a ad l a proportio est dupla ad proportionem e g ad l g, sed sicut e a ad l a, ita dupla eorum

rum

P A R A B O L A.

rum per 15 quinti, ergo $e g$ ad $l m$ proportio est dupla ad proportionem $e g$ ad $l g$. quare per 10. definitionem quinti, sicut $e g$ ad $l g$ ita $l g$ ad $l m$. Cū igitur $e g$ tota se habet ad $l g$ totā, sicut eadē $l g$ pars totius $e g$, ad $l m$ partem totius $l g$ ergo per 19 quinti $e l$ residuum totius $e g$, se habet ad $m g$ residuum totius $l g$. sic $e g$ totum ad $l g$ totum: sed $e g$ est maior q̄ $l g$, ergo $e l$ est maior $m g$, & per consequens si eis addantur æqualia, scilicet $a l$ & $a m$, erit $a g$ minor q̄ $a e$, sed partes fuerūt æquales, ergo idem est minus & æquale quod est impossibile. & hoc sequitur si $g d$ secet figuram parabolæ inter d & a , ergo hoc est falsum. Præterea si dicatur quòd $g d$ secabit sectionem inter d & basim esto quòd in o . Descēdat ergo linea $o n$ perpendiculariter super sagittam, & ponantur $a g$ & $a e$ æquales ut prius, & sit $g p$ æqualis $e n$. Vnde $n a$ & $a p$ erunt æquales, & $n p$ dupla ad $n a$, & $e g$ dupla ad $e a$. Sicut igitur liquet ex 4. huius & eius probatione. Proportio $n a$ ad $e a$ est dupla ad proportionem $n o$ ad $e d$, ergo & dupla ad proportionem $n g$ ad $e g$. sicut autē $n a$ ad $e a$, ita $n p$ ad $e g$ per 15 quinti. ergo proportio $n p$ ad $e g$ est dupla ad proportionem $n g$ ad $e g$. quare per definitionem 10. quinti $n p$ ad $n g$, sicut $n g$ ad $e g$. Cū igitur $n p$ totum se habet ad $n g$ totum, sicut $n g$ pars totius $n p$ se habet ad $e g$ partem totius $n g$: ergo per 19 quinti $p g$ residuum totius $n p$ se habet ad $n e$ residuum totius $n g$ sicut $n p$ ad $n g$. Sed cū $n p$ sit maior q̄ $n g$, erit $p g$ maior q̄ $n e$: sed ex hypothesi sunt æquales: igitur erunt sibi æquales & in æquales, quod est impossibile. hoc autem sequetur si linea $g d$ secet figuram parabolæ inter d & basim. Nullibi igitur secabit, quare necessario continget in puncto d si $a e$ & $a g$ sunt æquales. Et si sic, ergo & e contra si $g d$ contingat sectionem in puncto d , tunc $a e$ & $a g$ erunt æquales, quod erat probandum, patet ergo conclusio Apollonii ante allegata.

P R O P O S I T I O V I I I.

IN omni sectione parabola signato puncto in medio sagittæ ipsius qui idem punctus erit etiam in medio lateris erecti eius, tunc à quocunq; puncto lateris sui curui descendat recta linea uersus basim æquedistanter sagittæ si ab eodem puncto in curuo latere exierint aliæ duæ


D E S E C T I O N .

lineæ rectæ, quarum altera ex utraq; parte protensa contingat sectionem, & reliqua procedat donec in puncto prius signato coeat cum sagitta, fient duo anguli æquales, unus à linea contactus ex parte capitis sectionis & linea producta usque ad punctum signatum, alter à linea protracta parallela sagittæ, & linea contactus ex parte altera uersus basin.

In sectione parabola bac sit sagitta ak producta quousque coeat cum axe pyramidis in k , cuius medium si e , quod etiam erit medium lateris erecti sectionis, ut patet ex quarta descriptione huius. Sit punctus d in curuo latere sectionis, à quo exeat linea dl parallela sagittæ ak , & in eodem puncto d contingat linea gdh sectionis, protrahaturq; linea de . dico quòd angulus edg sit æqualis angulo ldh . Vel igitur angulus edg acutus est uel rectus, uel obtusus. Sit primum acutus, & df perpendicularis super sagittam. At per præmissam ag est æqualis af . Itaq; linea ae secta est in puncto f illiq; adiuncta ag æqualis alteri segmentorum, erit per 8 secundi quadrata. lineæ eg æquale ei quod fit sub lineis ea & ag uel af & quadrato lineæ fe : Sed linea ea est quarta pars erecti lateris sectionis per quartam huius, ergo per primam sexti & primam secundi quod fit sub af & ae æquale est illi quod fit ex ductu af in latus erectum sectionis semel, ergo quod fit ex af in latus erectum cum quadrato fe est æquale quadrato lineæ eg , sed per secundam partem quartæ huius quod fit ex af in latus erectum ualet quadratum fd . Duo uerò quadrata fd & fe ualent quadratum lineæ ed per penultimam primi, ergo quadratum lineæ eg , per penultimam primi, ergo quadratum lineæ eg est æquale quadrato lineæ cd , quare lineæ eg & ed sunt æquales, ergo per 5. primi angulus egd est æqualis angulo edg , sed per 29 primi angulus ldh est æqualis angulo edg , igitur angulus edg est æqualis angulo ldh , quod fuit ostendendum. Similiter probatur de qualibet uariatione puncti d , dum angulus e est acutus. Deinde sit rectus. Erit itaq; de perpendicularis sagittæ, ergo per præmissam ag æqualis est ae , sed ae est quarta pars lateris erecti igitur ge est dimidium lateris erecti, sed & ed est dimidium lateris erecti, quare de & ge sunt æquales, ergo per 5. primi angulus edg æqualis est angulo egd , sed per 29 primi angulus ldh æqualis est angulo edg , igitur angulus ldh æ-

qualis

P A R A B O L A.



qualis est angulo e d g,
 quod fuit probandum
 Deniq; sit angulus d e
 g obtusius ducatur per
 pendicularis d f, erit er-
 go punctus f inter e &
 k, quare linea a f est ma-
 ior q̄ linea a e, sed per
 præmissam a f & a g sūt
 æquales, ergo a g est
 maior quàm a e. Fiat igi-
 tur per 3. primi a m æ-
 qualis a e, ergo g m æ-
 qualis erit f e, atq; ideo
 addita utrobique linea e
 m erit f m æqualis g e,
 ergo quadratum f m e-
 rit æquale quadrato li-
 neæ g e. Cùm autem li-
 nea f a sit secta in pun-
 cto e, eiq; addita a m æ-
 qualis uni segmentorū,
 per 8 secundi Euclidis,
 quod fit ex a f in a m uel
 a e, cum quadrato lineæ
 f e, erit æquale quadrat.
 lineæ f m uel lineæ e g,
 sed quod fit ex f a in a e

ut patet ex præmissis, est æquale ei quod fit ex ductu f a in
 latus erectum sectionis, igitur quod fit ex ductu f a in latus
 erectum cum quadrato f e, æquale est quadrato f m, per se-
 cundam autem quartæ huius partem, quod fit ex f a in latus
 erectum sectionis, ualet quadratum f d: quare quadratum f
 d cum quadrato f e, ualent quadratum f m, sed cùm per pe-
 nultimam primi quadratum d e ualeat duo quadrata d f & f
 e, quadratum d e ualebit quadratum f m, & proinde qua-
 dratum e g. Lineæ igitur d e & e g sunt æquales, & anguli su-
 pra basim æquales. Erunt igitur anguli e g d, & l d h æquales
 quod fuit ostendendum.

Pro-

D E S E C T I O N.


P R O P O S I T I O IX.

In speculo excavato concauitate sectionis parabolæ, omnes radii solares super dictum speculum incidentes æquedistanter sagittæ ad unum & eundem punctum relucet, qui quidem punctus tam erit medius sagittæ, q̄ etiam erecti lateris sectionis.

Hæc ex præmissa & communi principio perspectiuæ scilicet quod anguli incidentiæ & reflexionis sunt æquales ad oculum est manifesta.

P R O P O S I T I O X.

Instrumentum de calibe uel de alia materia dura perficere, quo concauitate parabola cauari poterit materia solida speculi comburentis.



Si uelis ut comburat ad distantiam 20. pedum, oportet ut habeas perticā, uel uirgam 40. pedū, qua tāquā

semidiametro possit circuli portio liniari. Habeas etiam duas regulas planas quadrangulares æreas uel ferreas quarum utraq; sit tantæ longitudinis quantam uis esse speculi latitudinem, & sit utriusq; regulæ latitudo tanta ut in ea ab uno extremo ad aliud deliniari possit portio circuli secundum quantitatem semidiametri supradictæ. In altera earum lineetur portio a b c secundum quantitatem dictæ semidiametri. in alia portio d e f secundum quantitatem semidiametri breuioris paulo, ut uerbi gratia, per quantitatem pedalem. Deinde ab utraq; regula, auferatur lima quidquid fuerit extra gibbositatem portionum lineatarum. Deinde iaceat super superficiem horizontis corpus oblongū quadrangulare & basium æquedistantium, & æque distārium laterum atq; rectangulum, cuius longitudo sit ut regulæ a b c,

us


P A R A B O L A.

ut gratia exempli octo pedum, protrahenda ergo super latus eius superius unam lineam α que distantem lineæ gh & distantem ab ea pedali intercapedine, scilicet secundum quantitatem qua semidiamiter circuli de est minor semidiametro circuli abc , & sit punctus medius illius lineæ e . Deinde ponatur def super latus superius corporis oblongi, ita ut punctus medius curvaturæ def contingat in e lineam α que distantem lineæ gh , & secundum eam protrahatur linea curva super latus superius corporis oblongi, & uocetur illa arcuatio def . Deinde ex transuerso lateris superioris oblongi corporis, protrahe lineam rectam transeuntem per e α que distantem utriusque extremorum illius lateris, & ab extremis illius lineæ mediæ transeant aliæ duæ lineæ ex transuerso laterum costarum α que distantes à suis extremis quousque concurrant cum basi cui corpus illud innititur, & inter extrema inferiora harum duarum linearum ducatur linea recta ex transuerso basis. Verbi gratia, ubi dicta linea in basi tangit lineam ak fiat b , & uocetur linea transuersa basis bm . Vertatur igitur corpus ut incumbat basi oppositæ, & regula abc applicetur lateri $ikac$, ita ut punctus medius curvaturæ abc contingat lineam ak in puncto b , & secundum eius ductum ducatur curva quæ uocetur abc . Sunt ergo duæ curuæ in lateribus oppositis, quæ sunt abc & def partes duorum circulorum quorum centra directe opponuntur, ita ut linea coniungens illa sit perpendicularis utriusque circulo. Per instrumentum ergo cuius acies sui linea recta abradatur à costa laterali quidquid est extra curuas $abcdf$. Relinquetur ergo fornix def , abc , quæ est pars curuæ superficiei pyramidis rectangulæ inter duos circulos parallelos. Nam quod sit pars pyramidis patet, cum centra duorum circulorum sint in perpendiculari ad utrumque circulum. Et quod pyramis sit rectangula probatur. Incumbat enim corpus basi priori, ita ut curva abc sit in lateri inferiori, & ex puncto e cogitemus lineam perpendicularem basi, quæ necessario cadet in linea bm transuersa: cadat ergo uerbi gratia in punctum o . Cum igitur eo sit pedalis oppositam corporis altitudinem, cumque bo sit pedalis eo quod e distabat à linea gh pedali interuallo ex hypothesis, igitur in triangulo ebo duo latera eo & ob sunt æqualia & angulus o rectus, ergo uterque reliquorum dimi-

dius

D E S E C T I O N.

dius recti. Cùm autem linea $e o$ inuicem sit axi pyramidis, si transiret $b e$ donec concurreret cum axe, esset angulus $b e o$ æqualis angulo dimidio conii scilicet dimidius recti, & proinde totus angulus conii esset rectus, & pyramis ipsa rectangula, per descriptionem primam huius, Quare arcuatio $a b c d e f$ est portio pyramidis rectangulæ. His ita constructis super lineam $b o$ productam cadat punctus n tantum distans ab o quantum $o a b$, ita ut $b o$ sit æqualis $o n$. Ducatur igitur super basim $i k a c$ una linea transiens per n , parallela ipsi $i b k$, & per punctum e transeat planum abscindens quidquid est extra illam superficiem ex parte b . Differentia ergo communis illi superfici ei planæ & superfici ei curuæ est sectio parabola. Trāseat enim planum triangulum per conum & per centrum basis, perq; lineam $b o m$, cuius latera secent pyramidem bifariam: erit linea $e n$ parallela alteri lateri dicti trianguli. Linea enim $b n$ protra-



cta constituit in dicto latere uersus conum angulum dimidium recti, eo quòd ipsa parallela diametro basis, angulus autem $e n o$ est recti dimidius, ergo per 29, primi $e n$ lateri dicto æque distat. Sic igitur habetur planum laterum sitorum iuxta sectionem parabolam. Cui applicetur lamina chalybea eiusq; ductu acuatur, ita ut acies sit linea incurua, curuitate parabolæ. Quo instrumento excuetur alia lamina chalybea uel ferrea poliaturq; & habebis speculum comburēs, ut minimum ad tantam distantiam, quanta est semis semidia metri circuli cuius portio delineatur in prima regula $a b c$, quòd patet ex nona huius. Exactius uerò interuallum sic inueneris. Si ponis $b x 40$. & $e o$ unum, similiter erit $o b 1$. & $n x 38$, cui est æqualis $x q$, quare $q n$ erit radix quadrata de 2888. quæ est semissæ unitatis plus q̄ 53. atq; ita tota $e q$ erit aliquantulo plus q̄ 54. cuius S . est modico plus q̄ 27. Quare si semicirculus est 40. erit interuallum 27. pedum, & paulo plus. Item sit $b x 5$, erit $n x 3$. $e o 1$, similiter $o b 1$, $n q$ radix quadrata de 18, $n e$ radix quadrata 2. Quibus abditis proueniet $e q$ radix quadrata de 32, cuius S . est radix de 8. Ad tantam uidelicet intercapedinem istis positis fiet combustio.

Sequi-


P A R A B O L A.

Sequitur conclusio mirabilis prima facie, quæ licet proposito non inferuiat, ipsa tamen è sectione hyperbole sequi uidetur.

PROPOSITIO XI.

Duas lineas quarum altera recta & altera curua, uel quarum utraq; curua consimili curuitate posse protrahi, quæ quanto plus protrahuntur, amplius appropinquant, & tamen nunq̄ concurrent, etiam si in infinitum protrahantur.

Prima pars propositionis.



Capiatur pyramis rotunda orthogona quã secet in duo æqualia triangula *a b c* transiens per caput pyramidis *a* & centrum quod sit *d*. Iaceat tem pyramis super centrum horizontis ut conus sit uersus boream, basis uersus austrum ita trianguli *a b c* secantis ipsum latus *a b* incumbat horizonti. Vnde triagulus totus est in superficie circuli meridiani. Imaginor ergo aliud planum

secans pyramidem æquidistanter triangulo prædicto *a b c*, & sit communis sectio curuæ superficiei pyramidis & illi plano sic æquidistanti triangulo prædicto linea *e g h f*, ut *e* sit punctus eius propinquior capiti pyramidis. Erit igitur linea *e g h f* necessario curua per secundam huius, cum non transeat per caput pyramidis, quæ si in infinitum protrahatur ex parte *f* super pyram. in infinitum productam ex parte basis secundum superficiem secantem in infinitum conceptam & *a c* latus trianguli cum pyramide in infinitum elongetur: dico quod linea curua *e f* & linea recta *a c* in infinitum protractæ continue magis ac magis appropinquant & tamen nunquam concurrent. Quod nunquam concurrant patet, quia sunt in superficiebus æquidistantibus planis ex hypothesi, ergo semper distabunt ad minus tanto quanta est perpendicularis pro-

S

tracta

tracta ab una superficie ad aliam. Quodque plus appropinqua-
bunt continue, probatur. In curua e g h f sint duo puncta
g & h, per quæ transeant duo circuli secantes conu inuicem
basi, & ubi secant lineam a c, sint puncta k & l: dico rectam
inter h & l breuiorem esse recta inter g & k. Subtensa enim
dupli arcus intercepti inter h & l est æqualis subten. dup. ar-
cus intercepti inter g & k, eo quod utraq; subtensa sit dupla
ad perpendicul. interceptam inter utramq; superfic. Sed illi
circuli sunt inæquales, quia transiens per h l est maior, unde
minor curuior est, ideo sinus uersus arcus g k est maior sinu
uerso arcus h l, & quia sinus recti eorum sunt æquales, erit
per penultimam primi recta inter g & k longior quàm recta
inter h & l, quod fuit probandum, sed dices, non est hoc mi-
rabile, cum lineæ illæ non sint in eadem plana superficie, sed
curua. Idem ergo demonstretur de duabus lineis in eodem
plano, capio eandem superficiem quam prius, scilicet transe-
untem e g h f, parallelam triangulo a b c, quæ extendatur su-
per pyramidem donec ad rectos angulos secet aliam super-
ficiem planam innitentem a c orthogonali ad superficiem tri-
anguli a b c, & sit communis sectio istarum duarum superfi-
cierum m n recta, quæ erit inuicem lineæ a c, & in eodem pla-
no cum curua e g h f. Dico lineas m n & e g h f magis ma-
gisque uersus basin sibi appropinquare, nusquam tamen con-
currere. Quod nunquam concurrent, patet, quia planum
subpositum a c lateri, nullus punctus pyramidis nisi qui sit
in linea a c, tanget: sed in ea est linea m n cuius nullus pun-
ctus tangit lineam a c, igitur nullus punctus lineæ m n tan-
git aliquod punctum pyramidis, nec contra, curua autem
e g h f est in superficie pyramidis curua, ergo linea e g h f, nū-
quam concurret cum linea m n, quod erat propositum.
Quod autem uersus basin nunquam desinent propiores fie-
ri, patet. Nam quibuslibet duobus punctis in linea e g h f si-
gnatis ut o p, sitque o propinquior cono pyramidis, si per il-
la puncta transeant duo circuli secantes pyramidem inuicem
basi, qui tangant lineam a c in punctis, sinus rectus arcus o
q erit æqualis sinui recto arcus r p, eo quod o & p sunt in su-
perficie parallela triangulo a b c, in cuius latere a c sunt duo
puncta q & r: Cum igitur p r sit arcus maioris circuli quàm
arcus o q, & proinde minoris curuitatis, erit sinus uersus ar-
cus

cus p r minor sinu uerso arcus o q, sed duo puncta o p distāt à linea m n non nisi quantitate sinuum uersorum prædictarum portionum, ergo punctus p minus distat à linea m n, q̄ punctus o, quod fuit demonstrandum. Patet ergo de duabus lineis quarum una est recta alia curua. Quod si cogitemus aliam pyramidem prioræ qualem illi incumbere, ita ut linea a c sit communis utriq̄, & imaginemur superficiem trāseuntem per e g h f æque distanter triangulo a b c extendi, quousq̄ secet superiorem pyramidem eodem modo quo secat inferiorem, tunc sectio communis dictæ superfici ei & curuæ superfici ei superioris pyramidis, erit linea curua similis incuruationis cum linea curua e g h f, quæ duæ curuæ non desinent continue propiores fieri, eo quod utraq̄ magis magisq̄ appropinquat lineæ m n, nunq̄ tamen concurrent cum m n linea media. Sic igitur utraq̄ pars propositionis demonstrata est.

F I N I S.

SEQUITUR ANTIQVI SCRIPTORIS libellus de Speculo comburenti, concauitatis parabolæ.




X sublimioribus quæ Geometræ inuenerūt, & in quibus solliciti fuerūt sunt specula comburentia per conuersionem radiorum solarium. Inuestigauerunt ergo modis diuersis ut ad unum punctum radii complures conuerterentur, & uiderunt radios conuersos ex Speculo plano ad punctum unum non conuerti nisi ex puncto uno tantum, ex sphærico non nisi ex circumferentia unius circulorum cadentium in illa sphæra. Atq̄ ideo quidam complura specula plana coniūxerunt aut sphærica, è quibus omnibus conuertantur radii ad punctum unum. Inspicientes uerò proprietates sectionum pyramidum uiderunt radios cadentes super omnem planitiem cauam corporis parabolæ conuerti ad punctum eundem. Constat igitur quod specula talia excellent comburendo reliqua omnia. Sed ipsi non exposuerunt demonstrationem super hoc, nec uiam quam nos explicabimus,

D E S P E C V L O.
P R O P O S I T I O I.



IN Omni sectione parabola cuius protrahatur sagitta & separatur ex extremitate sagittæ, quantum est quarta lateris eius erecti, omnis linea protracta æquedistans sagittæ, & proueniens ad sectionem & alia conuersa ad punctum quod separat quartam continet cum linea contingente sectionem super illud punctum duos angulos æquales.




Sit sectio parabola a b g, eius sagitta a d, latus erectum l, & secabo ex a d lineam a e æqualem quartæ lineæ l, & producam c b inuicem ipsi d a, & coniungam

b e, ducamq; k b h cōtingentem. Dico angulum c b k æqualem esse angulo e b h. Sit primum angulus b e h acutus. Pono quòd angulus c b k sit æqualis angulo b e h, & quia c b & d a sunt parallelæ, erit angulus c b k æqualis angulo b h e. Sed angulus c b k est æqualis angulo h b e, ergo angulus e b h angulo b h e, ergo linea b e lineæ e h, & quadrat. b e quadrato e h, ductaq; b z perpendiculari sagittæ erunt z quad. e z, z b æqua quad. e h. Sed quad. b z est æquale ductui a z in l, sicut probauit Apollonius, ergo quadratum e z & multiplicatio a z in l sunt æqua quad. e a. Sed e a est quarta l, ergo quod fit sub z a & a e, æquum ei est quod sub z a & l, Ergo per secundam secundi quod sub z a & a e cum quad. e z, æquum quad. e h, ergo a h est æqual. z a. Sed est b h contingens & b z secundum ordinem, dico rursus angulum c b k æqualem angulo e b h. Ducta enim b z secundum ordinem, quoniam b h est contingens, erit a z æqualis a h, ergo e a in a z quater cum quad. e z æquatur quadrato e h, Sed e a est quarta l, ergo multiplicatio l in z a cū quad. e z, est æqualis quad. e h. Verum ductus l in z a est quadratū b z, quia est secun-


V S T O R I O.

cundum ordinem, ergo quadratum bz & quadratum be sunt æqualia quad. eh, sed duo quad. bz & ez sunt quad. eb, ergo quad. eb æquale est quad. eh, & eb æquale eh, & angulus ebh angulo ehb. Et quia cb æque distat da, angulus cbk æqualis est angulo ehb, ergo angulus ebh angulo cbk æqualis est, quod uolumus. Sit angulus beh rectus ut in secunda figura. Ponam igitur duos angulos æquales, &



quia cb æque distat ab est angulus cbq æqualis angulo ehb, sed angulus cbk per positionem æquatur cbh, ergo angulus ebh æquatur ehb, ergo linea be lineæ bh, & quadrat eb quad. eh, sed quad. ebi quod fit ex ea in l, ergo multiplicatio ea in l quad. eh Sed quod ex eh in l est quarta quad. l, quoniam ea est 4 l, ergo linea ae æqualis

lineæ ah. Sed bh est contingens & b e secundum ordinem. Dico ergo rursus angulum cbk æquari angulo ehb. Cum enim linea bh sit contingens & b e secundum ordinem, erit æqualis ah, cumq; ae sit quarta l, est eh semis l, ergo quadr. eh est quarta quad. l, sed quod fit ex ea in l est quarta quad. l, quia ea est quarta l, ergo quod ex ea in l æquatur quad. e



hæc figura prima esse debebat

T

D E S P E C V L O

h, sed ductus e a in l æquat. quad e b, ergo linea b e lineæ e h, & angulus e b h ipsi e h b, & quia c b & d h sunt parallelæ, est angulus c b k æqualis e h b, sed e b h angulus ipsi e h b, ergo angulus c b k, ipsi e b h æqualis est.

Sit tandem angulus b e h obtusus. Ponam e b k æqualem ipsi e b h, per analysin uidelicet, & ob c b parallelam d h, erit angulus c b k æqualis ipsi e h b, sed c b k per positionem æquus est ipsi e b h, ergo e b h ipsi e h b, & linea e b lineæ e h, & quadratum b e quad. e h: ducta q̄ b z secundum ordinem quad. b z & quad. z e sunt æqualia quad. e h. Sed quad. b z æquale est ei quod fit ex a z in l, ergo quod ex a z in l cum quad. z e est æquale q̄d. e h, sed e a q̄rtæ l, ergo quod ex z a in a e quartæ eius quod ex z a in l, ergo quod ex z a in a e quater cum q̄d. z e, æquale est quad. e h, & ponam a l æqualem a e, ergo quod ex z a in a e quater cum q̄d. e z æquatur q̄d. z l, ergo quad. z l quad. e h æquale est quad. e h: sit q̄ e l communis, manebit z æqualis l h: sed e a est æqualis a l, ergo z a ipsi a h, Sed b h est contingens & b z secundum ordinem. Dico ergo rursus angulum c b k æqualem angulo e b h. Ducta enim b z secundum ordinem, & quia b h contingit erit z a æqualis a h, sit q̄ a l æqualis a e, manet ergo z e æqualis l h, ergo z l æqualis est e h, & quad. unius quad. alterius Sed quod ex z a in a e quater cum q̄d. z e est æquale q̄d. e h Sed ductus z a. in a e quater, est ductus z a in l, cum e a sit quarta, ergo quod ex z a in l cum quad. z e est æquale quad. e h. Sed quod ex z a in l est quad. b z cum b z sit secundum ordinem, ergo quad. b z & quad. z e sunt æqualia quad. e h. Sed quad. b z & quad. z e, sunt quad. b e, ergo quad. b e est æquale quad. e h ergo b e linea est æqualis e h lineæ, ergo angulus e b h æqualis est angulo e h b, sed angulus e h b ipsi c b k æqualis est, cum linea c b æqui distet lineæ d h, ergo angulus e b h est æqualis ipsi c b k. Idem contingit in omni linea quæ in sectione protrahitur inuicē sagittæ eius, quod cum conuersa ad punctū e continet cum linea contingēte, angulos duos æquales. Atq̄ illud est quod proposuimus.


P R O P O S I T I O S E C V N D A.



I sectio parabola, axe fixa, circumagatur donec ad primum situm redeat, ut oriatur corpus incuruum, quodcūq̄ planum super axē egrediens illud secuerit
differen

V S T O R I O.

ferentia communis est sectio parabola æqualis priori habens eandem cum illa axem.



Sit sectio parabola a b g, axis a d, & linea g d sit perpendicularis lineæ a d, & fixa a d reuoluatur sectio donec ad primum situm, ut oriatur superficies concaua cuius basis sit circulus d e z, cuius caput sit punctum a: exeat ab axe a d planum quocunque modo, secetq; superficiem, & sit differentia communis linea a h e quàm dico esse sectionem parabolæ æqualem sectioni a b g d. Coniungam enim e d, & fingam sectionem a b g d circa axim a d reuolui, ergo cum punctus g peruenit ad punctum e, cooperit tota superficies a b g d superficiem a h e d, ut sit una superficies, & quia sectio a b g d, efficit superficiem concauam, est linea a b g d semper ubicumque reuoluitur sectio, differentia communis inter superficiem concauam & sectionem. Cum ergo supponitur sectio a b g d sectioni a h e d Est differentia communis a b g inter ipsam & superficiem concauam, & iam fuit differentia communis inter superficiem quæ ei supponitur, & fit ex ea superficies concaua ipsa a h e, ergo linea a b g & a h e fit una linea a tota superficies toti superficiem æqualis, ergo a h e est sectio parabola æqualis sectioni a b g & eius axis est a d & hoc est quod declarare uoluimus.


T a

Propo

D E S P E C V L O

PROPOSITIO TERTIA.


In omni superficie caua corporis parabolæ si ab axe secetur quadrans lateris erecti sectionis, omnis linea parallela axi incidens in cauum, & conuersa ad illud punctum continet cum lineâ contingente superficiem concuam duos angulos æquales, sit cauum parabolæ cuius caput a, basis circulus g e, axis a d, secetur a h æqualis quadranti lateris erecti, & ducatur linea c b inuicem axi, quæ resileat in h, Dico quòd duæ lineæ b h, c b continent cum contingente egressa ab axe duos angulos æquales. Nam cum c b & h a sint inuicem, sunt in eadem superficie, sed recta b h eas coniungit, quare est & illa in eadem superficie. Protraham ergo superficiem b c b a donec cadat superfi. caua, & contingens eam plana super punctum b, fit ergo sectio parabola æqualis sectioni quæ priorem superficiem constituiebat, habens eandem axim, sicut patet ex præcedenti. Sit igitur sectio



illa a b, & in superficie plana contingente eam recta k b l quæ continget superficiem concuam et sectionem in puncto. Et quoniam linea k b l contingit sectionem & a h est quadrans lateris erecti, & c b æque distat lineæ a d, conuersa in h, duæ lineæ c b b h continent cum contingente duos angulos æquales. Similiter declaratur de omnibus lineis incidentibus in superficiem concuam parabolam speculi, æquali distantia ab axe, atq; illud est quod declarandum proposueramus.

PRO

V S T O R I O.
PROPOSITIO QVARTA.



Um opponitur Soli
speculum cauum cō
cauitate parabola ut
fit axis eius e regione solis,
omnes radii qui incidunt in
planitiem eius, conuertun-
tur ad punctum super axem
quod quadrante lateris ere-
cti sectionis à capite distat.
Sit talis caua superficies cu-
ius caput a & basis circulus
g e z, axis a d, & h a dicta di-
stantia à capite sectionis, ex-
ponaturq; solari circulo c,
ita ut axis a d in rectū pro-
ducta pertingat ad punctū
c. Dico ergo radios egres-
sos ex toto corpore solis ad
totam hanc superficiem cō-
uerti omnes ad punctum h.
Nam radii à sole incidunt in
speculum secundum lineas
rectas, ut radius ex puncto
c in a incidit per rectam a c,
ponā autem in planitie spe-
culi punctum super periphe-
riam basis eius quocunque
modo contingat, & imagi-
nabor lineam ex pūcto g pa-

rallelam lineæ a c, quæ sit g t. Cū igitur producitur g t re-
cta incidet in Solem, nam quod est interuallum inter illam &
a c minimum est collatum ad corpus solis, cadet ergo in pun-
ctum t, ac proinde radius egressus ex t ad g egreditur per
t g rectam. Atq; ita productis quibusuis punctis ex planitie
speculi inuicem axi, ad solem, radii egressi ex puncto in sole
ad punctum speculi tendunt per rectam lineam. Iam ergo
explicatum est egredi è sole radios ad totam superficiem spe-
cularem

cularem per lineas æquidistantes axi, dico ergo quod omnes illi conuertuntur ad punctum unum, quoniam superficies a d e z est caua cavitae parabola, lineæ parallelæ axi, incidentes in ipsam & conuerse ad punctum h, continent cū rectis contingentibus superficiem concuam angulos æquales, & radii egressi per lineas rectas & producti ad superficiem speculi & conuersi secundum angulos æquales ex contingentibus in superficiebus linearum conuersarū per easdem lineas sicut docet figura præcedens ut totam concauitatem speculi incidentes in punctum. iam patet quod egrediuntur è sole radii ad uniuersam cavitatem speculi per lineas rectas parallelas axi, ergo radi omnes in uniuersum speculum incidentes inuicem axi conuertuntur ad punctum h, cuius distantia à capite est quadrans lateris erecti. Atque illud est quod in errandum sumpsimus.

Finis.

Errata Lector humane, sic corriges.

- B** pag. 1. lin. 10. lege admiscere.
F 2. pag. 2. lin. 32. leg. Troglodytæ. **F** 3. pag. 2. lin. 10. phazania.
I lin. 1. leg. connexa quæ. Ibidem lin. 24. leg. domini ius
I 2. lin. 4. a fine leg. per succensiones. **I** 4. pag. 2. lin. pen. lege aut.
K 1. pag. 1. lin. 5. a fine lege locorum dominatu. **K** 2. pag. 2. lin. 13. leg. quod dominium uitæ abolet. **K** 3. pag. 1. lin. 12. lege sunt. Ibidem linea ult. leg. unam solis.
L 2. pag. 1. lin. 15. lege oculis nitidis.
M 1. pag. 1. lin. 7. leg. occultarum. Lin. 12. sectis. Lin. 14. legē illustria. lin. 3. a fine lege secundum huiusmodi dominium. **M** 2. pag. 1. in fine deest hic uersus, rerum studium deliciarum, pro magnanimitate iactantiam. Ibidem pag. 2. lin. 3. leg. collocatione. linea 4. procurandas. lin. 15. nullo iudicio. **M** 4. pag. 2. lin. 30. nanciscentes. lin. 31. tectos. li. pen. leg. publica ostenta.
O 2. pag. 1. uers. 2. concubitus. lin. 6. a fine leg. unicam. Ibidem pag. 2. leg. liberos concedunt. **O** 4. pag. 1. lin. 3. lege in orientalium quadrantum deiectis locis.
P 1. pag. 1. uers. 7. a fine leg. absumuntur. **P** 2. pag. 2. uersu. 7. lege ex uirium. **P** 3. pag. 2. uers. 18. leg. aut si hæc.
Q 4. pag. 1. lin. ult. lege atq; ex h l.

Louanii excudebat Iacobus Batus typograph. iur.

70 Hereticum an quilibet denunciare teneatur.

73 Commissione qui dicantur hereticis fauere.

14 Defensores hereticorum qui sint.

15 Receptatio fauor, & defensio heretici, ad contrahendam excommunicationem, fieri debent scienter.

17 Fauor, receptatio, aut defensio heretici dupliciter possunt intelligi

18 Libros quoscumque hereticorum legentes an excommunicationem contrahant.

19 Libros prohibitos legere aliud, aliud hereticorum.

20 Desidentes libros hereticorum qui dicantur.

21 Schismatici vnde dicit, & quid schisma.

22 Schisma quando contrahitur cum heresi, quando non.

23 Omnis hereticus est etiam Schismaticus, non contra.

24 Inobediens & Schismatici differentia.

Rima ¶ excommunicatio fulminatur contra hæc vnde dicitur genera personarum. Hereticos quocumque nomine censentur, & cuiuscumque sectæ existant; eorum crederent; receptatores, fautores, quoslibet eorum defensores. Libros hereticorum heresim continentes, vel de religione tractantes, sine Sedis Apostolica auctoritate, scienter legentes. Eosdem libros retinentes; imprimentes; quomodolibet defendentes, quavis causa, publice vel occulte, quouis ingenio & colore. Schismaticos; eosque quia Romani Pontificis pro tempore existentis obedientiam vim acter se subtrahant, ut recedant. Horum quinque scilicet Heretici, eorum credentes; fautores; receptatores; defensores, erant excommunicari olim iure communi licet excommunicatio non fuerit reseruata & excom. extra de Heret. ab Inno. 3. c. quicumque de Hære. in 6. ab Alex. 4. Schismatici etiam excom. erant c. nulli. d. 19 vt bene notauit Silu. Ver. Schismaticus. §. 5. Oportet singula explicare.

* Heretici dicuntur, qui errorem habent aliquem contra fidem cum pertinacia: est et in pertinacia necliana ad constituendum hominem hereticum, vt habetur. 2. 2. q. 3. can. dicit Apostolus. Et can. quare Ecclesia. Est autem pertinacia. Quando homo scilicet, aut scire debuit, & potuit aliquid esse cõ- maxium Scripturæ Sacræ, aut ab Ecclesia damnatum, & ei ad hæreticis

quis ante Pium Quintum non continebantur. Dicuntur autem ¶ Schismatici a Schismate: quod est peccatum contra charitatem. est autem Schisma rebellis separatio ab Ecclesia capite & Vicario Christi: sunt enim duo necessaria ad peccatum hoc contrahendum, vt habet S. Thom. 2. 2. q. 39. ar. 1. ad.

2. Alterum, vt homo se separet ab Ecclesiæ capite, scilicet Summo Pastore & Vicario Christi, per inobedientiam, non obediendo ipsi. Alterum, vt se hoc cum rebellionem quadam, nimirum pertinaciter ipsius iudicium subire nolendo, eiusque præceptum contemnendo. talis est Schismaticus.

Est autem aliquando ¶ Schisma coniunctum cum heresi, 22 aliquando sine heresi. Cum heresi quidem, quando homo opinatur, Pontificem Romanum non esse Christi Vicarium, nec caput totius Ecclesiæ; hæc enim heresis est. Sine heresi autem est, quando interius quidē non negat esse caput, tamē malitia vel passione tractus, non vult ipsam recognoscere, nec talem opere confiteri, tunc est Schisma purum sine heresi: vnde ¶ omnis hereticus est etiam Schismaticus, non tamē omnis Schismaticus est hereticus; quamuis frequentissime et etiam hereticus. vt habetur 2. 4. q. 3. can. inter heresim. Hi igitur Schismatici incidunt in hanc excommunicationem etiam si nullam heresim habeant admistam.

Vnde cinum genus est per Romanum ab obedientia Romani Pontificis pertinaciter se subtrahentium, ut ab eorum recedentium. Nec est purandum, Schismaticos significari his verbis: nam iam tales superius proprio nomine excommunicati sunt; sed significantur illi, qui ¶ mandato Romani Pontificis pertinaciter, id est scientes esse tale mandatum, nolunt obedire, nec hoc ad Schisma satis est: nam Schisma est, quando homo in totum a iudicio & obedientia Romani Pontificis se subtrahit, opere ipso non recognoscendo eum superiorem. Hæc ergo censura ligatur pertinaciter inobedientes, & Schismatici non sint; non enim omnia inobediens est Schismaticus.

TO
BIBLIOTECA

Sala.....

Número.....

4

TOLEDO

BIBLIOTECA PROVINCIAL

Sala *Reservada*

Número *985*

Res.

985